



1. Buddenf. Joh. francis  
Epistola ad nuncientiam  
quorundam Ministrorum  
Ecclastie in Sillesia  
vindicandam spectans.

1723.

2. Bücher f. Christ: frid: /  
theres orthodoxe  
1702.

3. Chladenij f. Mart: diff:  
sistens deomaxian ex  
confilio Gamalielij cauen-  
dam, Wittenb.  
1718.

I. N. J.

35

Dissertatio Theologica Inauguralis,  
DE  
**PROFUND**  
**COGNITIONIS DEI,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE atq;  
DOMINO  
**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI PRUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI HÆREDE, &c. &c.  
Ex consensu Venerabilis Facultatis Theologicæ,


P R A E S I D E  
**DN. SAMUELE STRIMESIO,**  
THEOLOGO CELEBRATISSIMO,  
h.t. UNIVERSITATIS VIADRINÆ PRO-RECTORE & FA-  
CULT. THEOL. DECANO,  
PRO LICENTIA

Summos in Theologia honores ritè capessendi,  
D. XIX. April. Anni M DCCVI.

cum Secundum Universitatis Francofurtanae Seculum non  
sine ingenti gaudio jam jam condendum & Tertium inchoandum est,  
Publico Eruditorum examini submittet.

**M. PAULUS VOLCKMANN,**  
V.D.M. & Präpositus ad S. Andr. in monte ad Crostnam.

Francofurti ad Viadrum, Typis Joh. Christophori Steppini, Acad. Typogr.





# I. N. D.

Disputatio Theologica Inauguralis.

Περὶ<sup>τ</sup>  
Βάθους τῆς γνώσεως Θεοῦ.

CAP. I.

§ 1.



Ui credit Deum DEUS est  
mens. Id  
docet.  
existere, eumque  
esse Δημιουργὸν  
τῶν ὄλων καὶ ὀσπέρ  
παλέρα τῶν παύλων  
h. e. universorum Opti-  
ficem & veluti Patrem  
omnium, ut non im-  
probe (a) Stoici lo-

a] Laert. 1  
7.5.147.  
Ratio.

quebantur, facile etiam perspicit, ipsum ratione  
& intelligentia oportere esse præditum. Qui enim  
hanc universitatem, cum non existeret, produ-  
xit & sapientissimo ordine dispositus; qui rerum,

A quæ

Quæ intelligentiæ sunt participes, innumerabilē multitudinem hujus tanti operis partem condidit; quicquid omnia, quæ ab ipso producta sunt, admirabili consilio in eodem, quo condidit, statu conservat, siue intelligentia carere potest? Profecto nihil absurdius stultiusque fingi potest, quam per DEum communem quandom intelligere vim, quæ nullo consilio & ratione necessarios ex se motus in corporibus cieat, cuique, cum omnis sensus sit expers, tamen gignendi, augendi movendique insint caussæ, in qua sententia *Strato* & *Plinius* fuerunt, suæque infantientis sapientiæ sectatores reliquerunt. Quid hoc, nisi casum cum consilio commiscere, & in summa perfectissimaque sapientia temeritatem ponere? Mirum, si quisquam sanus ausus sit tam gravem cötumeliam in DEum intorquere.

*Scriptura*  
b] Hebr. 12 Quanto rectius sanctiusq; sentire τον πατέρα (b)  
9.  
c] Joh. 4. τῶν πνεύματων πνεῦμα (c) εἶναι: Atque eum,  
12. in quo (d) omnia vivunt, moventur atque sunt, esse  
d] Act. 17. ἀληθεία (e) DEum notitiarum.

20. § 2. Agnoverunt hanc veritatem, qui,  
e] Sam. 2. quæ nobis de Divina natura sacrosanctis scri-  
pturis prodita sunt mysteria, non acceperunt.  
v. 3. Ita statuerunt Phi-  
losophi gentiles.  
f] Laert. 1. Hinc apud profanos passim legas has minime  
profanas voces: Deum esse νοῦν, πνεῦμα,  
2. § 6. λόγον. Anaxagora sententia (f) νοῦς ἐλθὼν  
πάντα χρήματα διένοσμησε. Mens superven-  
tior. Pythagoras censuit (g) Deum animum esse per na-  
turam

turam rerum omnium intentum atque com-  
meantem. Posidonius(h) mundum administrari,  
eis ἀπαν διύλε μέρος δίμοντος τοῦ νότου, καθά-  
περ ἐφ ήμων τῆς ψυχῆς. Mente per omnes  
ejus partes pertingente, quemadmodum in no-  
bis anima. Pro νοῦς ut ἰσοδυναμῶν ponitur  
πνεῦμα. Ita Plutarchus Stoicorum sententi-  
am exponens: (i) Καὶ πνεῦμα μὲν δίμον δι-  
όλε τῷ οὐτομό, τὰς δὲ προσηγορίας μελα-  
λαμέλανον δι ὄλης τῆς ψυχῆς. Hoc etiam mo-  
do canit poëta (k)

Spiritus intus alit; totamque infusa per artus

Mens agitat molem,

Ponitur etiam λόγος. Plutarchus (l) refert,  
Heraclitum dixisse: Εμαρμένη λόγος ὁ διά-  
της στίας τοῦ παντὸς δίμων. Quid? quod  
etiam γνώμην ἀπὸ τῷ γνώσιν Deum appell-  
larunt. Sic Heraclitus de Deo loqui visus est  
Merico(m) Casaubono: ἐν τε σοφῶν ἐπίσασθαι  
γνώμην, ἥτε δι εγκυρενήσει πάντα διά  
πάντων. Unicam esse Sapientiam, mentem co-  
gnoscere, quæ omnia, maxima, minima gubernat.  
Epicetus (n) manifestior est testis, qui  
præcipit: ἔμεν πᾶσι γνωμένοις ἡ ἀνολαζεῖν  
ἐπόντα, ὡς ὑπὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιελέ-  
μένοις. Omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum,  
eaq; sequenda ultiro, ut quæ à mente præstantissima  
regantur. Addam non ineptam Stoicorum (o)  
definitionem, qua ad Dei naturam explicandam

h] Laert. l.  
7. § 138.

i] l. I. de  
placit. Phi-  
los. c. 7.

k] Virg. l. 6.  
Aen. v. 726,

m] ad La-  
ert. l. 9. § 1.

n] Enchi-  
rid. cap. 38

o] Laert. l.  
7. § 147

A 2 ute.



utebantur. Affirmabant, Θεὸν ἔιναι ζῶον  
ἀθανάτον, λογικὸν, τέλειον, ἢ νοητὸν ἐν εὐ-  
δαπνονίᾳ, καὶ παντὸς αἰνεπίδεινον, προνοη-  
τικὸν κόσμου τε, ἢ τῶν ἐν κόσμῳ. DEUM  
esse animal immortale, rationale, perfectum sive  
intelligens in beatitudine, nullumque malum recipiens,  
providentia sua mundum & quæ sunt in mundo admi-  
nistrans.

*Aff. DEI*  
*intelligen-*  
*tia sofiæ*  
*infinitus*  
*modis su-*  
*perat.*  
p] Joh. 3.  
v. 31.  
q] Job. 8.9.  
r] Dan. 13. quem (s) cœli non capiunt? Tua (t) intelligen-  
s] i. Reg. 8. tia ab illius longius distat, quam Terra cœlo.  
t] Isa. 55. 9. Tua angustis finibus continetur, estque valde  
imperfecta: Illius tam immensa atque mirabi-  
lis, ut Tu ne intelligendo quidem assequi eam  
possis. Docet te id Zophar. (u) cum interrogat:  
u] Job. 11.8 Num quid pervestigationem  
x] Ps. 139.6 חִקְרָר אֱלֹהֵי הַמֶּצְאָן  
y] Rom. 11.33 Dei assequeris. Fatetur id David: (x) פָּלָאֵיהָ רַעַם אֲוֹכֵל לְה  
Testatur id Paulus,  
(y) qui exclamat ὁ Σάδως τῆς γνώσεως Θεός.  
Quod cum audis, ne veniat tibi in mentem, res  
eximias verbis ut plurimum auctas exaggera-  
tasque proponi, ut uberiores paulo atque admirabiliores apparent. Nesciunt hunc orato-  
rum morem Divini scriptores res divinas enar-  
rantes. In primis ille Apostolus, qui Σάδω!  
ex-

exclamat , negat (z) se λόγυ σοφίαν , quan-  
 quam didicit , sectari , aut usurpare (a) οήγυμα  
 εν πειθοισ αινθρωπίνης σοφίας λόγοις , αἱλ<sup>2</sup> εν  
 ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως . Sed quid  
 opus est verbis , ubi rerum testimonia adfint ?  
 Dei cognitionem esse profundum quoddam in-  
 exploratum , & humano ingenio nunquam per-  
 cipiendum , patebit , si expendamus rerum actio-  
 numque , quas cognoscit multitudinem , & rati-  
 onis , qua eas perspicit , investigandæ difficulta-  
 tem . Utrumque in præsens persequar , non per  
 difficiles quidem impeditosque Scholasticarum  
 quæstionum anfractus cursum dirigendo ; sed  
 qua scriptura dicit , via commeando .

## CAP. II.

## § 1.

**B**άθος in cognitione Dei inesse , inde colli- Profundū  
 gas in primis , licet , quod DEUS se ipsum , cognitionis  
 suam Majestatem , potentiam virtutesque divinæ  
 omnes intelligit . Τὰ τοῦ Θεοῦ (a) γέδεις οἴδει offenditur.  
 ει μη τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ . Ea autem , quæ 1. Ex rebus  
 Deo insunt , sunt (b) ξέδειη . Qui ergo τὰ ξέδειη cognitis .  
 ἐρευνᾷ , in illius intelligentia ξάθος inesse oportet . 2. Deus se  
 Sed discedam à non enarrabili Deo & co- ipsum no-  
 gnitionis divinae profundum ostendam ex cre- v. 11. bji. Cor.  
 atarum rerum , & actionum , quæ ab iis profici- 2. 10.  
 scuntur , multitudine .

§ 2. In his rebus aliæ ratione quidem novit o.  
 certa mnes res

extra se.

certa moventur, ipsæ tamen ratione carent: aliae, quamvis sine ejus, in quo omnia moventur, motu non agant, suam tamen sibi concessam agendi quandam libertatem acceperunt. Hinc actionum necessariae sunt quædam, quædam voluntariæ. Nihil horum omnium est, quod Dei mentem fugiat. Rerum actionumque naturalium scientiam primum, deinde voluntiarum sive contingentium exponere animus est.

A.  
res naturalesc] Act. 15,  
v. 18.

§. 3. Deum cognoscere res naturales, earumq; vim effectiōnēmque omnēm, & quidem ab ēterno, paucis, sed perspicuis tamen verbis scriptura testatur, cum dicit: γνωσά (c) ἀπ' ἀγανός ἐσι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα ἀντέ. Sed quod illa generatim complectitur, nos sigillatim exponemus,

, Cœlū &  
cœlestia,

§. 4. Primum ergo tecum considera imensa cœlorum spatia, vastasque regiones, mirificos astrorum positus, incredibilem stellarum numerum, lucem solis & motum, lunæque vicissitudines; & cunctam, quæ cœlestibus his luminibus inest efficiendi facultatem. Horum alia nos plane latent, alia, quæ cognoscere videmur, penitus perspecta non habemus; Deus autem distincte perfecteque novit, Ille

a] Esa. 41, enim cœlos (d) spithama dimititur. Expandit (e) ve-  
12. e] Esa. 41, luti Conopeum, & distendit sicuti tentorium ad habi-  
22. f] ib. v. 26. tationem. Ille (f) cœlorum exercitum numero suo  
g] Job. 9.9. producit, & nomine vocat. Ille facit arcturum  
h] ib. cap. & orionem & plejades & penetralium Austri side-  
38. 33. rę (g) Et cœli statuta novit. (h) Ille in-  
ter-

terdicit soli & non oritur, ante stellas obsignat  
viam. (i) Ille imperat soli & subsistit. (k) Ille <sup>i]ib.c.9.</sup>  
præcipit matutino tempore & auroræ locum suum fa- <sup>v. 7.</sup>  
cit notum. (l) Ille statuit lunam in stata temporis <sup>k] Job. 10.</sup>  
solem agnoscētem occasum suum. (m) <sup>12.</sup>  
<sup>1] Job. 38:</sup>  
<sup>12.</sup>  
<sup>m] Ps. 104.</sup>

§. 5. Nos miramur varias aëris agitatio-<sup>2. Quæ in</sup>  
nes, ventorum ortus & flatus, nubium molem,  
tonitruum fragores, fulminum iætus, pluviaæ ro-  
risque generationes & guttas, grandinis & nivis  
pruinæque concretiones, caloris frigorisque pu-  
gnas & alternas successiones. Deo omnia hæc  
sunt perspecta. Vid. Job. 38. v. 22. - 30. Job.  
37. totum. Job. 28. v. 25. Ps. 147. 8. Prov. 30. 4.

§. 6 Cognoscit Deus Oceani limites, pro-<sup>3. Mare &</sup>  
fundum maris, undarum fluctus, æstuum ma-<sup>qua in eo</sup>  
rinorum accessus & recessus, fluminum fontes  
& meatus, omnesque aquarum divitias atque  
incolas. Job. 9. v. 8. it. c. 26. v. 10. c. 38. v. 8. -  
ii. it. v. 16. 17. Ps. 33. v. 7. Ps. 104. v. 10.

§. 7. Perpende terrarum tractus atque <sup>4. Terram</sup>  
habitus, montes, valles, sylvas, campos,  
agros, hortos, arbores, gramina, flores: Oc-  
culta telluris viscera, abditos metallorum si-  
nus, gemmarum natale solum. Quanta hic se-  
rerum offert multitudine, quanta varietas, quan-  
tus denique usus? Deus hæc omnia accurate per-  
spicit. Job. 38. v. 3. 4. 5. 6. it. v. 18. Ps. 104. v. 12.  
14. Esa. 40. v. 12. Matth. 6. v. 30.

§. 8. Perspicit omne volucrum reptilium-<sup>5. Terra</sup>  
que genus, ferarum pecudumque animos & sta-<sup>lincoas.</sup>  
bula,

bula, atque horum omnium numerum & usum  
Job. 39. 40. capp. Pf. 50. v. 10. II. Luc. 12. v. 6.

§. 9. Novit etiam hominum orbem habitantium nationes, singulorumque procreandorum & obeundorum tempora. Job. 38. v. 21. Novisti, fore ut nascereris & numerus dierum tuorum futurus esset multus? Job. 14. v. 6. *De-  
cisi sunt dies ejus; numerus mensum ejus est tecum, limites ejus fecisti & non transibit Aetor.*  
17. v. 27. Fecit ex uno sanguine omnem gentem hominum habitare in omnem superficiem terrae finiens praedita tempora & limites habitationis eorum.

nulla re-  
cepta.

§. 10. Nihil ergo in tanta rerum multitudo ne atque diversitate ipsi aut occultum aut obscurum est. *Ἐν ἐξ ἀυτῶν οὐκ ἔστι ἐπιλεληφθέντον ἐνώπιον αὐτῷ.* Luc. 12. v. 6. *Οὐκ ἔστι πίστις αὐτῷ ἐνώπιον αὐτῷ.* πάντα δὲ γυμνὰ ἦ τετραχηλισμένα τοῖς σφραγίσμασι αὐτῷ. Hebr. 4. v. 13. Quamobrem etiam omnes creature ad ejus laudem canendam excitantur. Pf. 148.

Consensus  
gentilium.

§. 11. Non desunt ex ipsis gentilibus, qui singulorum vel minimorum entium notitiam Deo assignarunt. Apud Pindarum Chiron interroganti Apollini ita respondet. *Ωδά, κύριον ὃς πάντων τέλος οἰσθα, οὐ πάσας κελεύθες, ὅσσα τε χθῶν ἥρισα Φύλανταπέμπει, χώρόσα μὲν θαλάσσα να-*

Pyth.

Θ. ε-

πωδ.

β. v. 5.

*τελεύτης, οὐ πάσας κελεύθες, ὅσσα τε χθῶν ἥρισα Φύλανταπέμπει, χώρόσα μὲν θαλάσσα να-*

*ποτα-*

ποταμοῖς φάρμασι πύμασι δίπλαις τὸν αἰνέ-  
μων πλονεόντας χωρὶς μέλλει χωρόθεν  
ἔστελα, ἐν παθορᾶς. h. e. O Rex, qui certum re-  
rum omnium exitum nostis; atque omnes vias, quoque  
Tellus emittat verna folia, quoque in mari fluviosisque  
arenae fluctibus ventorumque impetu volvuntur; quod-  
que futurum est. & unde futurum est, bene perspicis.

Non satis igitur Hieronymus vigilavit, Habac. c. i.  
cum hæc duriora scripsit. Absurdum est, ad hoc  
Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta sin-  
gula, quot nascantur culices quotve moriantur, quæ ci-  
nicum & pulicum & muscarum in terra sit multitudo;  
quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus ma-  
jorum præda cedere debeant. Ne simus tam fatui  
adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detra-  
himus, in nos ipsos injuriosissimus. Qui capillorum  
numerum non ignorat, eum minima scire, non  
dubitandum est. Matth. 10. 30.

## CAP. III.

## §. I.

**H**Astenus res naturales attigi, quæ *εἰδῆσ*  
*τῆς γνώσεως Θεος* satis probant. Magis  
tamen obstupescendum illud profundum ap-  
parebit, si nunc demonstrem voluntaria etiam  
opera hominum Deo esse cognita: Opera au- <sup>1. Quare</sup> <sub>vera ali-</sub>  
tem non solum ea, quæ revera aliquando fiunt; quando  
sed etiam, quæ nunquam fiunt, fieri tamen pos- <sub>fiunt.</sub>  
B

B. Cogno-  
scit Deus  
res volun-  
tarias.

sunt. Quæ autem aliquando fiunt, à Deo cognoscuntur, non solum tum, cum fiunt, aut jam perfecta præterierunt; sed etiam longe ante, quam is, qui ea perpetrat, existit. Angelos, quamvis ratione & voluntate præditos, prætereo; non propterea, quod divina scientia ad eorum numerum, virtutem, actionesque non pertingit. (Pertingit equidem, Ps. 104. v. 4. Job. 4. v. 18. Job. 15. v. 15.) Sed quod demonstratio ex iis optime petitur, quorum nos ipsi sumus consciū.

a. Tum  
etum sunt.  
§. 2. Quæ ab hominis voluntate proficiuntur, sunt vel facta, vel dicta, vel cogitata. Hæc omnia simul atque existunt, à Deo observari, penitusque cognosci, quis dubitet, nisi qui religionem ex vano metu inter homines ortam etiam existimet. Frequens sane scriptura in hac scientia Deo vindicanda. Videamus quædam veritatis testimonia & exempla.

§. 3. De factis hæc accipe. David testatur, Ps. 33. v. 15. Deum animadvertere ad omnia opera hominum. Jobus illa profert: Annon videt a]Job. 31. omnes vias meas, & omnes gressus meos numerat. (a) v. 4. Et iterum: oculi ejus attendunt ad vias cujusque & omnes gressus ejus respicit. (b) Apud Jeremiam Deus de se ipse talia: Oculi mei advertunt ad omnes vias eorum, non sunt absconditæ à facie meas neque est abdita iniquitas eorum ex adverso oculorum c]Jer. 16,17 meorum. (c) An delitesceré quisquam potest in late- d]Jer. 23,24 bris, ut ego non videam ipsum, dictum Jehovæ? (d) Contemplatur utique & peruidet cuncta, atque, quæ pie fiunt,

¶ II ¶

funt, comprobant, que vero scelerate atque improbe,  
ulciscitur. Non latuit ipsum Abelis fides. (e) No-  
achi integritas. (f) Lothi innocentia. (g) Josephi  
castitas. (h) septies mille hominum, qui Baa-  
lis idolum venerati non sunt. religio. (i) Con-  
tra vidit Caini iras fraternalaque cædem. (k) Gen. 4.  
Antediluvianorum sclera. (l) Babyloniorum  
molimina. (m) Sodomæorum flagitia. (n) Vi-  
dit injuriosum Labanem. (o) Neglectam Le-  
am. (p) Insignes atrocitate Aegyptios. (q) de-  
trectantem imperia Saulem. (r) quiescentem  
proficiscentemque Assyrium. (s) Quid? quod  
passerculorum aucupia non negligit. t)

e] Gen. 4. 4.  
 f] Gen. 7. 1.  
 g] Gen. 19. 12.  
 h] Gen. 39.  
 22. it. c. 47.  
 v. 40.  
 i] 1. Reg.  
 19. 18.  
 k] Gen. 4.  
 9. 10.  
 l] Gen. 6.  
 3. 5.  
 m] Gen. 11. 5.  
 n] Gen. 18.  
 20.  
 o] Gen. 31. 12.  
 p] Gen. 19. 31.  
 q] Exod. 3. 9.  
 r] Sam. 13.  
 II. it. c. 15. II.  
 s] 2. Reg. 19.  
 27.  
 t) Matth.  
 10. 29.  
 B. five di-  
 atra & gesta  
 u] Gen. 4. 6.  
 x] Gen. 18. 12.  
 y] Gen. 21. 17.  
 z] Exod.  
 14. 15.  
 a) 2. Reg.  
 2. 24.  
 b] Jer. 23. 25.  
 c] Es. 6. 20.  
 it. c. 37. 29.  
 d] Dâ. 4. 26.  
 e] Ez. 29. 3.  
 γ five  
 cogitata.  
 f] Act. 1. 14.  
 g] Es. 10. 7.  
 h] Es. 47. 7-8.

§. 4. Non negligit dicta vel gestus. Non ignoravit Caini vultum, (u) risum Saræ (x) t) Matth.  
Hagaris mœrem, (y) suspiria Mosis, (z) puerorum in Elisam convitia, (a) prophetarum  
mendacia, (b) Assyrii minas, (c) Babylonii (d) Assyrii minas, (e) Ille percipit  
Ægyptiique arrogantes voces. (e) Ille percipit  
piorum preces. Pf. 34. v. 16. Cognoscit eorum la-  
crymas, & quot de genis manant, veluti nume-  
rat. Pf. 56. v. 9.

§. 5. Quid quisque mente agitet, non mi-  
nus Deus scit. Probat justum inspicitque corda  
& renes. Jer. 20. 12. Pf. 7. v. 10. Jer. 17. v. 10. Hinc  
& ναρδογνωμένης in ejus appellationibus. (f) Ecce  
exempla. Patefacit Assyrii (g) arcana, indicat  
Babylonis nimiam fiduciam & simul increpat.  
(i) Quoties Salvator malam Judæorum mentem  
atque consilium detexit? Matth. 9. 4.

b. Tunc § 6. Tam imbecilla autem mente non  
cum pri-  
dem facta opinor quenquam esse, qui Deum, quæ cognos-  
sunt. Humanæ me-  
moriae infirmitas in sempiternum Deum non  
cadit. Deus enim mutaretur, si ejus scientia  
imminueretur, id quod longe à Deo scriptura  
removet. Cum cœlum & terram mutationi  
obnoxia David docet, de DEO pronunciat:  
אֱלֹהִים תְּהִלָּתֶךָ Tu idem. Ps. 102. 28. Certe παρά<sup>אֱלֹהִים</sup> τῶν Φώτων ἡνέντι παραλλαγὴ ή τεο-  
κτιστής ἀπόστολος μα. (k) Apud Patrem luminum  
non est transmutatio, aut conversionis obumbratio.

אָנָי יְהוָה לֵא  
Mal. 3. 6. Ego Jehova non mutor. Quin omnium  
præteriorum gestorum perennior Deo atque  
firmior est recordatio, quam hominibus eorum,  
quæ ex commentariis suis subinde repetunt. Id  
scriptura significat, cum DEO (m) tribuit:  
m] Mal. 3. 16. סַפֵּר זִכְרוֹן librum memoriarum, in quo omnia  
n] Deut. 32. 34. חֲלָא כָּמָס עַמּוֹד חֲרוּבָּם אֶצְבָּע בְּאַזְצָרִתִּי  
Ratio Confen-  
susque gentilium.

§ 7. Ast quid diutius his immoror? Nisi  
Deus, quæ in mundo fierent, cognosceret, & quæ  
facta, animo servaret, religio in hominibus non  
esset. Quid enim roges Deum, qui Tua vota  
non percipit? Quid ejus fidem implores, qui in-  
jurias tibi illatas aut si quid aliud te vexat,  
non observat? Quid tu pie, sobrie continenter  
que vivas, quem Numina non respiciunt, aut si  
respiciant, quæ tu tamen honeste ac præclare  
fecisti?

fecisti, non recordantur? Mundi Judicium, piorum spes, improborumque metus atque furias tollit, qui DEum obliviousum singit. Quamobrem quæ nos ex scriptura S. hausimus, eadem gentiles natura edocti de hac numinis scientia memoriae prodiderunt. Ita graviter Ascratus sex canit: (o)

*πάντα ιδῶν Διὸς ὁ φθαλμὸς καὶ πάντα ἔργα.*

*vocūσας,*

*Καὶ νῦ τάδ, αὐχὲν ἐθέλησο, ἐπιδέξειται:*

*ἀδέ εἰ λήθει,*

*Οἶνον δῆ καὶ τῆνδε δίκην πόλις ἐντὸς*

*ἔργει.*

Apud Pindarum hæc legis: E' dè θεὸν ἀνήγετος  
ζελπεῖται, λατσέμεν ἔρδων, αιμαρτάνει. Si quis  
quid peccans, id Deum latere speret, fallitur. Dignum  
& illud Euripidis: (q)

*ὅσιος δὲ θυητῶν σιεται καθ' ἡμέραν*

*Κανόνη πρασσον τους θεούς λελαθέντας*

*δοκει πονηρός. Καὶ δονᾶν αἴλισκεται,*

*"Οταν χολην ἄγεστα τυγχάνει Δίκη.*

Ovidius illud inter cætera reliquit: (r)

*Adspiciunt oculis Superi mortalia justis.*

Aeneas socii apud Virgilium Didus auribus  
hæc insuffravit: (s)

*Si genus humanum & mortalia temnitis armis*

*At sperate Deos memores fandi atque nefandi.*

Audi & hunc de Epicuri grege non improbe  
canentem, dum talem credit Deum, qui mi-

*si] r. En.  
1:13, v. 70.*

*545.*

nime, quæ apud nos geruntur, negligit; sed  
*Qui terram inertem, qui mare temperat*  
*Ventosum, & urbes regnaque tristia:*  
*Divosque mortalesque turbas*  
*Imperio regit unus æquo. (t)*

[t] Horat.  
l. 3. Od. 4.

Mentis cogitationes Deo esse cognitas Tha-  
 (u) Laet. 1. les docuit. (u) Ηρώτησέ τις αὐτὸν, εἴ λαδ' θοι  
 1. §. 36. Θεὸς ἀνθρωπος αἰδινῶν, αἷς γέδε διανοόμενος  
 εἶπεν. Interrogatus ab aliquo, num homo injuſta  
 faciens Deum lateat, respondit, ne cogitans quidem  
 Quod cum Valerius commemorat, illud non  
 alienum addit: Ut non ſolum manus, ſed etiam  
 (x) Val. mentes puras habere vellemus, cum cœleſte Numen ſe-  
 Max. 1. 7. cretis noſtri cogitationibus adeffe credidifsemus. (x)  
 c. 2. n. 3. Ext.  
 Epicurus notatur.  
 §. 8. Epicurus cum nimis acute ſapere vo-  
 luit. Deumque à mortalium rebus & terrarum  
 orbe remotum cœlo affixit, vehementer deſi-  
 puit; maximamque Divinitatis gloriā, nem-  
 pe, ſapiētiam, bonitatē, iuſtitiamque ex Di-  
 vinitate ſuſtulit, dum timuit, ne curis terræ agi-  
 tata Divinitas ſua beatitudine excideret. Sed  
 veniam illi dederis, qui non malo animo, nec  
 pefſimis inter ſuos cives moribus in illorum  
 & illi, qui temporum tenebris tam male erravit. Si quis  
 ſe ſuaque vero inter nos, quibus S. Scriptura ante ocu-  
 à Deo co- gnoſci ne-  
 los est proposita, hanc divinæ ſcientiæ perfeſti-  
 onem in dubium vocaret, tanto pejor haben-  
 dus eſſet, quanto majore luce fruitur. Is  
 utique nemo eſſe potest, niſi ſtultus, atque iſ  
 quidem ſtultus, qui in corde ſuo ſibi perſuadet, non  
 eſſe

esse Deum. (y) Ejusmodi autem homo sero sen-(y) Psal.  
tiet, quod credere noluit, Deum omnia hominum 14, 1. Psal.  
opera in judicium producturum. (Z) 10, 11.  
(z) Eccles.  
13, 14.

## CAP. IV.

## §. I.

**P**RÆSENTIA hominum opera Deum intueri  
& præteriorum non obliuisci, demon-  
stratum est. Sequitur nunc futurorum Hinc præ-  
scientia Deo vindicanda, quam Tullius Lat-  
nè præfensionem, Theologi præscientiam appellant.  
Scriptura vocabulo πρόγνωσιν dixeris, dum  
hæc vox in scriptura nudam alicubi præscienti-  
am significet. Sed de voce cum nemine conten-  
dendum, qui rem dederit. Id nunc quæritur,  
an Deus voluntarias hominum actiones eti-  
am ante, quam actio producatur, vel ipse  
agens existat, prævideat. Hoc equidem affir-  
mare S. Scriptura nos jubet. Illa cum ver-  
bis clarissimis docet, tum manifestissimis  
exemplis confirmat, Deum hominum opera  
ante præscire, quam eveniant; neque opera  
solum bona, quæ Deo accepta sunt referenda,  
sed etiam mala quæ vel Diaboli improbitati,  
vel humani ingenii pravitati sunt adscribenda. probatur  
Afferam primum in medium unum vel alte-  
rum S. Scripturæ dictum; deinde & exempla  
producam.

§. 2. Vix illustrius argumentum inve-  
niri

Scriptura  
testimonio-  
is



nisi potest, quam quod huic causæ psalmus 139.  
suppeditat. Versus secundi altera pars ita ha-  
Psal. 139. v. 2. בְּנֵתָה לְרַעִי מְרוֹחָק Tu cognoscis meam  
cogitationem è longinquō. LXX. σὺ συνῆμας  
τούς διαλογισμούς μου απὸ μακρόθεν.  
Ut probandi vis appareat, examinemus singula verba.

(a) Id de quo David hic loquitur, est mentis cogitatio atque actio quævis. In Hebræo est רַעַי Quæ vox non confundenda cum עַמִּיק amicus & עַג clangor, vocibus sono iisdem, sed significatu & radice longe diversis. Id quod in seniorum versione notandum est. עַב Socius, amicus, & עַג clangor Hebræ sunt voces. עַג cogitatio, licet Hebræis originem debeat, habet tamen aliquid peregrinitatis. Videtur enim ex Hebræo רַעַי, mutato ע in ע, descendere. Hic mutandi mos Chaldaëis & Syris satis usitatus: Hinc & Chaldaeorum propriam nostri textus vocem dixeris. Originem ergo si spectas, esset fere idem, quod עַג ἐύδονία. Sed usu apud Chaldaeos & Syros generaliorem significationem admisit, omnesque mentis cogitationes & vim fere exprimit. Simplici & Hebræa terminazione occurrit etiam v. 17. hujus Psalmi. Ubi LXX. tamen in alieniorem sensum verba trahunt veritatemque: Εμοὶ δὲ λιαν ἐτιμήθησαν οἱ Φίλοι σου, οἱ Θεός. Sunt, qui putant etiam Job. 36. v. 33. & Job. 17. v. 5. ע cogitationem

*onem significare.* Apud Danielem hæc radix quibusdam literis aucta non semel legitur: רִשְׁיָה sc. Dan. 2. 29. 30. Dan. 4. v. 16. 19. & cap. 7. v. 28. ubi LXX. eodem modo, quo in nostro versu per διαλογισμὸς vertunt. In N. T. Syriaco frequentissima vox est רִשְׁיָה respondetque.

*Γνῶμη* 1. Cor. 7. v. 40. 1. Cor. 1. v. 10.

*διανοίᾳ* Matth. 22. v. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27.

*νοΐᾳ* Luc. 24. 45. Rom. 7. 23. & 25. it. cap. II. 34

1. Cor. 2. 16. Eph. 4. 17.

*ψυχῇ* Act. 4. 32.

*καρδίᾳ* 2. Corinth. 9. v. 7.

*συνειδήσει* Rom. 9. 1. 2. Cor. 1. v. 12.

Hinc vocis significationem discas. *Mentem*, *mentisque cogitationis omnes* complectitur. LXX. non male in proposito Davidis loco *vocem* per διαλογισμὸν reddunt.

(b) Quid jam de mentis cogitationibus David affirmat? *a Deo eas intelligi*, & quidem cognitione accurata & distincta. Hæc vocis propria significatio. בֵּן enim affinitate cum בֵּן conjunctum. Vide Emphasim I. Reg. 3. 9. Ubi Salomon petit cor לְהַבֵּן בֵּן טוֹב לְרֻעָה, ut inter bonum malumque accurate discernat, curvo rectum dignoscat. Job. 6. v. 30. Num palatum meum אֲבִין הַוֶּתֶן non internoscit noxia, nequitiam, πονηρίαν. Tribuit ergo David DEO, ipsum distincte cogitationes cognoscere.

(c) Sed quando? טְהִרָה ē longinquo ἀπό μανεγέσει. Id tam ratione loci quam temporis dicitur.

citur. Deus autem, cum non longe absit ab unoquoque nostrum, (a) idque David hoc ipso Psalmo fateatur, alienum est, *de loco* vocabulum interpretari. Ergo de Tempore intelligendum est. Ita etiam alibi usurpatur. Esa. 25. i. מִרְחֹזֶת עַזּוֹת consilia ē longinquo. LXX. Εὐλόγησις αἰχαίαν. 2. Sam. 7. v. 19. Locutus es in longinquum. LXX. ἐλάλησας εἰς μακρὰν, uti Lucas Act: 2. v. 39. τοῖς εἰς μακρὰν. Neque phrasin Latini respunt. Nota sunt: longinquus morbus, longinqua oppugnatio, longinquum exilium, longè futuros casus prospicere. Docet ergo David hoc versu, Deo nostras cogitationes longe ante esse cognitas penitusq; perspectas, quam mens eas concipiatur formetque.

§ 3. Novum argumentum versus quartus  
complexitur כִּי אָנָּה בְּלֹשׁוֹנִי הֵן יְהוָה רֶעֶת כָּלָה  
Pf. 139. 4. Qua verba I. T. ita vertunt. Quum nondum est sermo in lingua mea, en ā Jehova, nosti ipsum totum. Sic Belg. Gall. Et profecto, si Hebræa linguae genium spectas, hunc sensum commodissime verba fundunt. כִּי pro כָּאֵשׂ satis frequens. Vid: Gen: 4. 12. Quum coles terram, LXX. ὅτε ἔργῳ τὴν γῆν. Exod. 21. v. 2. Quum emeris servum Hebraum. LXX. ἔαν μήσῃ πάιδα Ελέρασον. Deut. 4. v. 25. Cum genueris filios. LXX. ἔαν ἐνναυθῇ. ήν̄ opponitur τῷ ψι negatque ὑπαρξίᾳ, existentiam plerunque. Gen. 2. 5. Non erat homo. LXX. ἀνθρώπος γένεται. Sine ulla igitur difficultate ita vertis, ut J.T.

J. T. & alii interpretes, Attamen LXX. ab hoc sensu recedunt per τὴν λόγον ἄδινον intelligentes contra antecedentium & consequentium rationem. Pensant tamen, quod hoc versu nobis adimunt versu præcedente tertio, ubi præscientiam his verbis stabiliunt. *καὶ πάσας τὰς ὁδὸς μετροῦσί τε καὶ προσέδεσ*. Hebræis verbis id non exigentibus.

§ 4. Alia præfensionis divinæ probatio se offers v. 16. Cujus posterior pars licet sit obscurior, & à variis variè exponatur, probat, quod volumus. Verba ita habent. גָּלְמִי רָאו שְׁנֵנָה וְעַל סְפָרָךְ כָּלָם וְכָחֲבוּ יִמְשְׁצֵרוּ וְלֹא אֶחָד בְּהָם: Mansam meam, *ἀναλέγησάν με* viderunt oculi tui. Hæc perspicua. Quæ sequuntur; minus. Difficultas inde potissimum oritur, quod ambigi possit.

(a) *כלם* significetne *res*, an *personas*. Verrendumne sit. *Omnia*; an *omnes*. LXX. ad *personas* referunt atque reddunt: Επὶ τῷ Κέλελίῳ σὺ πάντες γέραφήσονται. In libro tuo *omnes* (sc. homines) scribuntur, *καὶ οὐθὲὶς εἰν αὐτοῖς*: nec dum illorum quoquam existente. Horum sententiam si sequearis, *præscientiam* confirmas futurorum contingentium. Qui enim formandos foetus descriptos habet, ante quam concipiuntur, ille & sciat, oportet, ex quibus quis sit generandus, generantiumq; mutuam coëundi voluntatem, id quod voluntarium est. Atque ita David dixerat, quod Deus apud Jobum c. 38. v. 21. *וְרֹעֵה כִּי אֵין חִילָד*. Scisti fore, ut tunc nascereris? Alii non *omnes*, sed *omnia* com-

modius transferri posse judicant, hoc sensu: *omnia quæ ad procreationem meam pertinent, Tibi in tuo libro descripta sunt ac notata.* Atque hi inter se discordant in eo:

b) יְמִים quid denotet & quomodo sit construendum. Aliis vocem ita ordinantibus, *ut pars sit præcedentis enunciationis*, retineatque propriam significationem hoc modo. *Omnia illa descripta sunt, ex quibus diebus formabuntur:* (Quin etiam,) *quum nullus inter eos dies extaret.* h. e. Tu *omnia quæ ad meam procreationem spectant*, scripsisti, *præsens intuitus es*, non solum quibus diebus, quo tempore siebant; sed etiam ante, quam ullus horum dierum esset. Ecce rursus contingentium *præscientiam*. Aliis hanc vocem ita collocantibus, *ut novæ enunciationis sit subjectum.* *Omnia scripta sunt.* Quid? *quod ipsi dies scripti sunt in tuo libro, cum nullus eorum esset*, sive per dies intelligas, *tempus*, quo fœtus in utero concipiendus, quo formandus ferendusq; quo denique in lucem edendus sit; sive quid homini jam nato per omnem vitam sit eventurum, contingentium demonstratur *præscientia*; quia, quicquid horum sit, interveniente hominis voluntate sit. Sunt & aliæ versiones, sed ab Hebraica veritate longius abeentes, quas licet advoces, *præscientiae argumentum* huic loco non auferes. Atque hæc in *præsens* sufficiunt. Quæ enim versio omnium maxime ad Hebraam veritatem accedit, demonstrare propositum mihi non est, sed tantum exponere, Hebraicam veritatem tantis viri-

viribus divinam præsensionem stabilire, ut nulla nobilior versio in tanta varietate eam obscurarit, nedum sustulerit.

§ 4. Dignus & Esaiæ locus qui in hac cauſſa <sup>Ex. 48. 4.</sup> commemoretur. Apud eum c. 48. v. 4. DEus ita loquens inducitur. מְרֻעָה יְהוָה וְגֹדֵר בּוֹל Propter scire me i.e. propterea quod sciebam, te durum esse, nervumq; ferreum esse cervicem tuam, & frontem esse chalybeam. propterea inquam indicavi tibi ex eo tempore s; quum nondum eveniunt, pronunciavi tibi. Docet hic Deus: se beneficia, quæ in Judaicum populum contulerit. olim prænuntiasse, & quæ esset collaturus, nunc prænunciare, antequam conferat. Quid ita fecit? Præscivit jam olim populi συληροναιδίας, & nunc præscit vitiorum indolem non mutantam, præscit ingratum animum, religionemque circa verum DEum negligentem & in falsis numinibus diligentem; propterea quod hæc præscit, ita fecit. In interpretatione hac omnia bene cohaerent; & Hebræa verba eam facillime admittunt. כִּי & inde ortum præfixum כִּי etiam alibi propter significat. Deut. 9. v. 28. סַבְלִי יְכֹלֶת propterea quod odio non poterat: מְשִׁנְאָתוֹ אָוֹת: propterea quod odio prosequebatur illos. Psalm. 107. v. 17. Stulti מְרֻךְ פְּשֻׁעָה וְמְעַנְנִיחָה propter viam defectionis sue & propter pravitates suas affligebantur: LXX. priorem partem plane in aliam sententiam vertunt; sententiam posteriorem ita, ut nos, expoununt. διὰ τὰς αὐούλας ἀπέων ἐταπεινώθησαν.

§ 5. Daniel in sua oratione his verbis Deo futurorum contingentium præfensionem etiam tribuit: הָוּ גָּלְאַ עֲמִקְרָה וָסְתָרָה יְדֻעַ מֵה בְּחִזְכָא Ille revelans est profunda atq; abscondita; novit quid sit in tenebris. De quibus profundis & absconditis loquitur? Num de insomniorum tantum interpretatione? Non opinor, sed & de iis, rebus, quæ per somnum Nabuchodonosori erant ostensæ: scilicet de regnorum successione, viribus, casu. Quibus omnibus, multæ liberæ hominum actiones interveniant, necesse est. Confirmat ergo, quod nobis explicandum propositum est.

§ 6. Ad exempla pergam, ut veritas magis perspicua atque evidens fiat. Primum sacra recitatabantur; subjiciuntur deinde profana quædam.

§ 7. In sacris plura sunt exempla, quam ut his angustiis contineri, & certiora, quam ut in dubium vocari possint. Quot extant impleta vaticinia, tot nostræ caussæ perspicua habemus testimonia. Ex multis pauca enarramus. Præscivit utique DEUS. Amorrhæorum iniquitatem augendam: Gen: 15. v. 16. Abrahami posteros in Ægyptum venturos, ibiq; affligendos Gen: 15. v. 13. Eisavum natu majorem minore fratre majorem non fore. Gen: 25. v. 23. Pharaonis non dimissuri populum, nisi extrema necessitate coacti incredibilem contumaciam. Exod: 3. v. 19. Israëlitæ gentis à verò cultu defectionem, & propter defectionem sustinendam calamitatem Deut: 23. Davidis uxores palam ante oculos omnium stu-

pran.

6.  
Probatur  
exemplis

a. Sacris.

prandas 2. Sam: 12. v. 11: Josiam à Jeroboamo ex-  
 tructum altare humanis ossibus in eo combu-  
 rendis foedaturum: 1. Reg: 13. v. 2. Captivitatem  
 Babyloniam septuaginta annis non fore diu-  
 turniorem. Jerm: 25.12. & c. 29. 10. Cyrum libera-  
 tionis fore auctorem. Esa: 44. v. ult. & 45. vers. 1.  
 Alexandri divisum imperium. Dan: 11. v. 4. Se-  
 leucidarum Lagidarumque bella, clades, trium-  
 phos, perjura foedera, dolosas nuptias, irrita con-  
 silia. ib: Antiochi Illustris in Judaicum populum  
 atrocissima facinora: Quæ omnia adeo perspi-  
 cue designata sunt, ut Porphyrius, qui historias  
 Græcas suo adhuc tempore extantes cum vatici-  
 niis istis contulit, aliter se expedire non potue-  
 rit, quam ut diceret ea, quæ Danieli tribuebantur,  
 post eventum fuisse scripta, annotante incomparabi-  
 li Grotio l. 1. de verit: relig: Christ: Prævidit  
 Deus, Salvatoris proditorem ex ejus futurum  
 domesticis Ps. 41. 10. necis auctores conspirantes  
 cum Iudæis gentiles. Ps: 2. v. 1. 2 transverberan-  
 dum latus Zach: 12. v. 10. non frangenda ossa. Ps.  
 34. v. 21. exanime corpus in sepulcro divitis præ-  
 ter Iudæorum intentionem condendum. Esa: 53. 9.  
 Prævidit ante conditum mundum humani gene-  
 ris lapsum, προεγνωσμένες Σωτῆρος πρὸ κατα-  
 σόλης ιόστης. 1. Petr: 1. vers. 20. Iudæos Chri-  
 stum rejicentes Ps: 118. 22. Esa. 8. 14. Sed modus  
 adsit. Quem finem invenirem, si N. T. fata a  
 prophetis & Apostolis prænunciata aggrederer?  
 § 8. Profanam historiam etiam tangamus. b. Profanis  
 Ex-

Extant in ea non pauca præfigia, quæ divinam præscientiam stabiliunt. Non illa quidem de promam, quæ falso conficta & temere credita videntur, sed quæ pari, qua ipsa est historia, sunt fide. Notabilia hæc sunt in primorum Cæsarum vitis.

a) Calpurnia de mariti nece est admonita, dum pridie imaginata est, collabi fastigium domus, maritumq; in gremio suo confodi : Spurina etiam cavendas Cæsari Id us Martias prædixit. Historiam autem si consulis, plane *contin gens illud necis tempus* fuisse reperies. Quid? quod, paucis ante cædem mensibus, tabula ænea in monumento, in quo *Capys Capuae conditor* dicebatur sepultus, inventa est conscripta literis verbisque Græcis hac sententia: *Quandoq; ossa Capys detecta essent, fore, ut Julio prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiae cladibus vindicaretur.*

b) Bruto, ex Cæsaris interfectoribus unius, non obscure mors atq; clades ante denunciata. Plutarchus in ejus vita hoc memoriæ de eo prodidit. Quum ex Asia discessurus, exercitumq; trajecturus esset, nox erat profunda & ferme media; lumen vero splendidum nimis: contubernia non habebat & silentium undique tenebant castra. Is itaque secum aliquid reputans, sibi ipsi intentus aliquem ad se ingredientem præsentit. Ad introitum aspiciens, horrendum & monstruosam adspexit imaginem corporis feri atque terri-

Cæsaris  
mors præ-  
nunciata.

Sueton.  
Jul. c. 81.

Bruti cla-  
des præ-  
dicta.

terribilis silentio sibi adsistere. Interrogare tamen eam ausus Brutus. Quis, inquit, hominum aut Deorum es? Quid Tibi vis? Qui ad nos venisti? Ad quæ submurmuravit ille: Tuus. ô Brute, malus genius sum; in Philippis me videbis. Tum Brutus non exterritus, videbo respondit. commemorat idem Florus l. 4. c. 7. § 8. Ex contingentibus tamen maxime esse ejus & cladem & mortem, historia rursus docet. Neque est, quod quis de rei veritate magis dubitet, quam de eventu, quem muliercula illa Saga Sauli prænunciavit.

i. Sam. 28.

c) Octavius Philipensi acie, quamvis statuisse non egredi tabernaculo, egressus est tamen amici somnio monitus; cessitque res prospere, quando captis castris, lectica ejus quasi ibi cumbans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est.

d) Sortes Antiatinæ Caligulam monuerunt, ut à Cassia caveret, nec cavit tamen satis, quamquam Cassium Longinum Asiae tum Proconsulem occidendum delegaverat, immemor Chære-am Cassium nominari.

e) Nero jussus ab Apolline Delphis consuli to Septuagesimum ac tertium annum cavere. Galba significabatur, qui tamen tunc quiescebat, nec deinde defectionis initium fecit, sed Galli, duce Vindice.

f) Quot vaticinia atque prodigia Galbam rerum Dominum fore designarunt; etiam tum, cum

Ostavius  
periculum  
imminere  
sibi, ab a-  
mico ad-  
monitus.  
Sueton. in  
Ostav. c. 91

Caligula à  
Cassio in-  
terfectus  
Suetō. c. 57

Neronis  
succesor  
prædictetur  
Suetō. c. 40

Galbam  
imperio ad  
cum

movēdum cum adipiscendi imperii spes illi nulla erat. Con-  
esse Augu. stat enim, Augustum puerō adhuc, salutanti se  
flus scivit, inter æquales, apprehensa buccula. dixisse , n  
Sueton. Galb. cap. σὺ, τέκνον, τῆς αρχῆς ήμων παρατελέσῃ.  
4.8.9.

Sueton. Galb. c. 1. g) Memorabile & illud est præfigium cum  
Neroniani obitus, tum progeniei Cæsarum in-  
Nerone defientis. Novissimo Neronis anno  
sylva omnis (fatale lauretum, quod Livia plan-  
tare inchoārat) exaruit, & quicquid ibi gallina-  
rum erat, interiit.

Flavius Vop. in Numerian. h) Diocletianum imperaturum esse, ubi A-  
prum necasset, sacerdos præsignificavit.

i) Valens etiam rescivit, successoris nomen à  
literis Θεοδ inchoandum. Amm. Marc. I. 29.  
Sed desino. Major enim vaticiniorum, somnio-  
rum, prodigiorumque, quæ certum inter genti-  
les eventum habuerunt, est copia, quam ut hoc  
loco describi vel debeant vel possint. Quorum  
multa pars licet Dæmone malo interprete, præ-  
cognita sit, præscientiæ divinæ tamen, cum Dæ-  
mon futurorum contingentium per se præscius  
non sit, perhibent testimonium. Et quanquam  
objici possit, de multis eventibus præfigia à Dæ-  
mone prolata, postquam eos ingenii calliditate  
ex cauſisque naturalibus futuros deprehendis-  
set; id tamen certum est, multa etiam de rebus  
præfigia edita fuisse, ante quam de iis quicquam  
ex cauſisque naturalibus vel summa solertia cognosci  
aut conjectari potuerit. Ergo ex revelatione  
divina ejusmodi rerum exitum novit, quisquis

præ-

prædixit. Atque ita futurorum contingentium prædictiones, quæ in profana historia leguntur, divinam futurorum contingentium præscientiam stabiliunt.

§ 9. Quisquis ergo reverentiam S. literis, Conclusio.  
quæ iis debetur, adhibet; divinam futurorum contingentium præfensionem in dubium non vocabit, cum dicta, quæ ex scripturis sunt laudata, evidentiora sint, quam ut possint obscurari: atque in propositis exemplis caussæ, quæ even-  
tus produxerunt, sint liberiores, quam. ut even-  
tus illos pro necessariis habeas; & Eventus ipsi certius accuratiusque descripti, quam ut, probabili tantum conjectura Deum eos perspexisse.  
judices.

## CAP. V.

### § I.

O Stendi, quicquid ab hominibus aliquando fit, Deus gnoscit a-  
Deo esse perspectum. Nunc probandum etiones ro-  
superest, Deum etiam scire, quæ neque fu- luntaries,  
tura, neque facta sunt unquam, sed tamen ab ho- qua nun-  
mene fieri possint. Intra enim actionum humana- quam fuit,  
rum terminos me contineo: & de iis, quæ Deus sed fieri ta-  
pro sua immensa potentia efficere possit, nunc men possit  
non disporto. Deum omnia posse certum est;  
ergo & certum, ipsum scire, quid possit, quia se-  
ipse ignorare non potest. Sed de infinito quid  
definiam? Ea definire hic mihi proposui, quæ  
scriptura à finito homine libera voluntate prædicta  
fieri posse, licet non siant, affirmat. Quæ enim ve-  
D 2 riss.

rissima mens fieri posse affirmat, ipsam certo scire, ea posse fieri, manifestum est. Hæc scientia nunc paucis explicanda est.

§ 2. Hoc autem possibilium genus ut distincte proponam, primum enarrabo, Deum scire, quid in quoque statu homo possit facere, quamvis non faciat: deinde DEum scire, quid homo, hac vel illa occasione aut conditione illi oblata, certo sit facturus, licet occasio illa conditiove oblata ei nunquam sit, nec propterea fecerit, quod Deus ipsum certo facturum fuisse præcognovit, si oblata fuisset. Extra scripturam in hac causa non sapiam.

§ 3. Prioris generis hæc exempla sunt.

a. Posse quid  
hominem  
facere, quod  
non facit.

*α.*  
ante lapsum

§ 4. DEus plane cognovit, Adamum in eo statu, quo à Deo erat conditus, perfectam obedientiam propositæ legi præstare, & perpetuam vitæ sanctitatem iustitiamque colere potuisse, licet id non fecerit, sed neglectæ legis offensique Dei reus sit peractus. Argumentis, quibus quid affirmo, demonstrem, opus non est, cum sanorum Theologorum nemo contrarium statuat. Probatio tamen evidens est. Si enim primi parentes obsequium legi præstare, peccatumque cavere nequivissent, DEus ad plane impossibile eos obligasset, atque eorum casum, qui non cadere non poterant, indignatus ultiusque fuisset: id quod à bonitate sapientia, atque iustitia Dei longe alienum esse, credendum est. Num quid enim benignus pater filium, qui per æratem neqnit, incedere jubebit? Num sapiens, si jussierit, labenti succensemebit? Num justus pœnas inflget? A quo autem humanus affectus

רְחִמִּים fectus abhorret, idne in eum cadet, cuius σπλάγχνα scriptura ita celebrat, ut humanam misericordiam non solum æquiparent, sed etiam longe superent? Psalm 103. v. 8. II. 12. 13. Luc. 6. v. 36. Certe πολύσπλαγχνός ἐστιν οὐρίος καὶ οἰκέμων. Jacob. 5. v. 11. Οὐν ἀδικος ὁ Θεος. Hebr. 6 v. 10. צַדִּיק וַיָּשֶׂר חֲזָק justus & rectus ille est. Deut. 32. 4.

§ 5. Neque hoc obscurum est, Deum scire, miseros mortales divina gratia impertitos in hoc peccati mortisque corpore à multis peccatis, quæ committunt, se posse abstinere; & contra longe studiosius, quam faciunt, Deo obsequi. Hæc veritas in primis demonstranda est. Demonstro autem his rationibus.

§ 6. Primum id Deus multis modis testatur; deinde ipse peccator sua convictus conscientia idem sentit fateturque.

§ 7. DEUS se id scire tum verbis ostendit, tum affectu, Θεοπρεπῶς tamen intelligendo. declarat, tum etiam ipsa re demonstrat.

§ 8. Verbis clarissimis hanc veritatem DEUS ostendit.

a) Dum peccatorem neglegti officii fideliter admonet, resipiscendique ei dat consilium. Cainum scelere transversum actum ita in viam revocat. Gen. 4. v. 7. וְאֵלֶיךָ הַשׁוֹكֵן לְפָתַח חַטָּאתךְ רַבָּךְ וְאֵלֶיךָ Peccatum ante ostium cubat, ejus- וְאֵלֶיךָ המַלְלָה כִּי que ad te est accursus; sed tu illi dominare. Simonem Magum avaritia, ambitione nequitiaque corrup-

post lapsum  
β.

Deus id ver  
bis ostendit.

tum S. Petrus ita restituere, atque ad frugem corrigeret studet. Act. 8. 22. Μετανόησον απὸ τῆς πανίας σου ταύτης, οὐδὲ δεήθη τῷ Θεῷ, εἰ ἀρχαὶ Φεθῆσελάγοι ή ἐπιώναι τῆς παροδίας σου. Iraëlem semper rebellantem, Deoque obsequi recusantem quoties à scelere desistere & meliora sequi jubet? Circumcidite præputium cordis vestri, cœticemq; vestram nolite amplius indocilem præbere. Deut. 10. 16. Desinite vestras defætiones, quibus defecisti, & parate vobis cor novum & Spiritum novum. Ezech. 18. v. 31. Lavate, purgate vos; tollite ex oculis meis operum vestrorum malitiam. Desistite male agere. Esa. 1. 16. In libris N. T. similia leguntur. 2. Cor. 6. 1. 1. Cor. 4. 16. Apoc. 3. 18.

rogat

b) Dum peccatores blande rogat, ne scientes perire velint. *Cur vultis mori, ô Domus Israël* Ezech. 18. 31. Scortata es cum Amasis, attamen revertente ad me, dictum Jehovæ. Jer. 3. 1. Redite filii immorigeri, sanabo recessiones vestras. ib: v. 17. 22: Quid blandius illa Apostoli oratione: ὑπὲρ χειρῶν πρεσβεύομεν, αἱς τῷ Θεῷ παρακαλεῖν διήμων. Δεόμεθα ὑπὲρ χειρῶν, παλαιλάγητε τῷ Θεῷ. 2. Cor. 5. 20.

c) Dum indesinenter ad parendum hortatur. hortatur Misit Jehova ad vos omnes servos suos prophetas, inde à diluculo indesinenter, nec tamen auscultabis. Jer. 15. v. 4. conf. c. 35. v. 15. it. c. 36. v. 6. 7. c. 44. v. 4. 5.

præmiis invitati d) Dum præmiis ad officium invitat. Vid. Lev. 26. v. 1-13. Deut. 28. v. 1-14. Jer. 7. 3. Jer. 25. v. 5. Esa. 1. v. 19.

e) Dum

e) Dum minis à peccando deterret. Si obli-<sup>minis ab-</sup>  
tus Jehova Dei tui, securus fueris Deos alienos &  
colens eos incurvaveris te eis, contestor contra  
vos hodie, fore ut omnino pereatis. Deut. 8. 19. Al-  
loquere viros Iehudæ & habitatores Hierosolymo-  
rum dicendo, sic ait Jehova: Ecce ego fingo contra  
vos malum & cogito contra vos cogitationes. Re-  
vertimini jam quisque à via pessima. Jer. 18. v. 11.  
conf. Jer. 6. v. 8. Lev. 26. Deut. 28. Ps. 7. v. 13. 14.

f) Dum peccatores reprehendit & vituperat,<sup>reprehendit</sup>  
rebellionisque reos peragit. Hinc illæ appellatio-  
nes, esse cervice duros. Deut. 9. 13. rebellantes adversus  
lucem. Job. 24. 13. Eos nolle legibus parere. Prov. 1. 24-  
25. Matth. 23. 37. Jam verò DEum talibus verbis  
apud eos uti, qui præstare, quod DEus præcipit,  
plane non possint, credi vix potest. Nemo homi-  
num, qui sapit, sua verba ita profundit, ut mone-  
at, roget, hortetur, præmiis sollicitet, minis ab-  
sterreat, quos ea conditione esse novit, ut obsequi  
non possint. Quis fanus juss erit,  
relabi rivos

Montibus, & Tiberim reverti ?  
Aut onagrum, ut mitescat, præmiis tentet ? Atq;  
DEuni similia facere putas ? Manifestum est  
Deum, dum ita cum hominibus agit, scire, eos  
obtemperare posse, nisi, sapientissimam mentem  
insipienter aliquando agere, improbe cogites. Ita  
verbis DEus ostendit peccatores posse per divi-  
nam ipsis datam gratiam retrosum  
Vela dare atque iterare cursus.

59. Quod

Affectu i-  
dem Deus  
declarat. § 9. Quod clarissimis verbis Deus ostendit, id  
multiplici affectu etiam declarat. dum desiderium,  
spem, indignationem, atque iram in hominum defecti-  
onibus præ se fert.

Dum Offi-  
cium optat (a) Ingenti quodam desiderio optat, ut ii, quos ab ho-  
nesto aberrantes videt, rationi & præscriptis legi-  
bus convenienter vivant. Considera quæso illum,  
quo apud Mosen de Israële utitur, sermonem. Outi-  
nam hic eorum animus illis esset ad timendum me, & ad ob-  
servandum omnia precepta mea omnibus diebus, ut bene  
esset eis, & filiis eorum in seculum. Deut. 5. v. 26. Huc &  
illa referas licet; Utinam saperent! Deut. 32. 29. O si  
populus auscultaret mihi! Ps. 81. 14.

Sperat, ex-  
pectaque. (b) Tum & sperat improbos animum mutatu-  
ros, & male actam vitam virtutibus emendatu-  
ros. Ita apud Esaiam de Judaico, populo Deus lo-  
quitur: *Quamobrem, cum expectavissim, ut ederet uvas,*  
*labruscas edidit?* Esa. 5. v. 4. *Expectat officium, sed*  
*ecce vitiligo: justitiam, sed ecce vociferatio:* vers. 7.  
In hac spe atque expectatione etiam summa-  
quodam patientia utitur. Antediluvianis cen-  
tum & viginti annos ad respescendum indulxit. Gen.  
6. v. 3. Atq; ita satis longe εξεδέχετο ή το Θεός  
μανερούμενός ἐν ιησέως Næ. 1. Petr. 3. 20. Con-  
cessit etiam idoneum spatium vitiosissimæ malo-  
rum avorum progeniei, ut atrox illud scelus in su-  
um Dominum atq; Salvatorem admissum agno-  
sceret. mutatisq; moribus & animis ejus veniam  
Deum oraret. Id quod parabola deficu Luc. 13. v. 6. 7  
8. 9. indicat, & eventus docuit. Quid? quod etiam

erga

*erganos patientia uititur, nolens quenquam perire.* 2. Petr.  
3. 9. Nam hunc sibi propositum finem divina habet  
bonitas, ô Peccator, ut ad pœnitentiam te ducat.  
Rom. 2. v. 4.

(c) Deinde si spe frustratur Deus, id valde etiam indignatur queriturque. Lege quæ ad hanc rem pertinent passim apud prophetas. E multis expende illum Dei sermonem, qui extat Jer. 2. Quid invenerunt Patres vestri in me iniurias, quod longe abscesserunt à me & secuti vanitatem evanuerunt. v. 5. Idcirco adhuc contendeo vobis, dictum Jehovæ, etiam cum nepotibus vestris contendam. Nam peragrate regiones Cithæorum, & videte s; aut ad Kedarem mittite, & animadvertisite valde: Videte, inquam, an fuerit quid hujusmodi &c. Obstupescite oculi de hac re; & horrescite, desolemini valde &c. v. 9. 10. 11. 12. O generatio animadvertisite verbum Jehovæ, an ut desertum extiti Israëli? Num terra caliginis? Quamobrem dixit populus meus. Decrevimus non veniemus ad Te. Ibidem v. 31. His similia Deus indignabundus apud Michæam profert: Popule mi, quid feci Tibi? Quo fatigavite? Testificare contrame. c. 6. 3. Plena querelæ atq; indignationis & hæc Servatoris est oratio: Cui adsimilabo generationem hanc? Similis est pueris, qui sedent in foris & acclamat sodalibus suis, ac dicunt: Tibia cecinimus vobis & non saltabis; lugubria cecinimus vobis & non planxistis. Matth. 11. 16. 17. Atque illa. Hierosolyma, Hierosolyma, quæ occidis prophetas &c. Matth. 23. v. 37.

(d) Quinimo dolet, si beneficiis in improbos Dolet.  
E col.

collatis nihil proficit. Ita doluit apud animum, hominem à se conditum. Gen. 6. 6.

Irascitur,

(e) Tandem & hoc Scriptura affirmat, Deum justissimam iram colligere, si homo aut audax quoddam ac inusitatum facinus admittit, aut in veteri scelere persistit. *Osculaminis filium, ut non irascatur, & pereatis in via.* Nam brevi exardebit ira ejus. *Psl. 2.v. 12. Circumcidite vos Jehovæ, & amovete præputium animi vestri, Viri Iudeæ & Habitatores Hierosolymorum, ne prodiens, tanquam ignis, excandescens mea ita ardeat, ut nullus extinguat propter malitiam actionum vestrarum. Jer. 4.4.*

Conclusio,

§ 10. Expende jam hæc ea, qua par est, reverentia erga Deum & ejus verbum: Te inde satis convinci posse, opinor, ô homo; Deum penitus cognoscere, Te per gratiam Tibi ab ipso datam scelerum via excedere atque virtutis stadio insistere posse. Num quid enim Deum tibi fingere potes optantem, atque satis diu expectantem, quod Te præstare non posse novit, & dolentem, conquerentem, irascentem, quod te non posse facere videt? Ita si sentis, etiam cogites, necesse est, temere agere & gravissimis verbis ludere à Sapientissimo DEO alienum non esse. Verum per ἀνθρωποπάθειαν hæc dici, objicis. Quid tum? Non disputo nunc, an in Deo quid sit, quod nostris affectibus, remota ab iis omni perturbatione atque immutatione, sit simile aliquo modo, quia toties nostros affectus scriptura ipsi tribuit. Esto, affectus illos nil, nisi effecta, significare.

care. Id tamen affirmandum est, Deum justissimam habere causam, cur eorum more, qui his affectibus sunt commoti, agat; atq; eum nihil agere vel per errorem vel per saevitiam. Romanos Dominos tam corruptos improbosq; suo tempore fuisse Seneca scribit, ut fortuitis etiam succenserent, Epist. 47.  
 atq; servorum suorum tuſſim, sternutamentum, singultum princip. &c.  
 que verberibus compescerent. His Deum similem finire videtur, qui eum irascentem, indignantem-  
 que fingit peccatis, à quibus sibi homo nullo mo-  
 do cavere possit. Aut talibus, qui librum minutiori- 1.2. de Ira  
 bus literis scriptum projiciunt, aut mendoza lacerant, cap. 26.  
 aut vestimenta, quæ displicant, scindunt. Quod cum de  
 sapientissimo Numine cogitare sit impium, nefas  
 esse non potest statuere, Deo cognitum esse, ho-  
 minem illum parendi facultate non esse destitu-  
 tum, cuius vel sperare obsequium, vel indignari  
 contumaciam in Sacris dicitur.

§ 11. Sed ecce re ipsa Deus propositam veritatem Re demon-  
 etiam demonstrat. Quomodo? Dum sceleratos strat.,  
 quidem omnes punit, eos tamen longe gravius,  
 qui divinam voluntatem edociti divinis admoni-  
 tionibus locum non reliquerunt. Luc. 12. v. 47. 2.  
 Petr. 2. v. 20. Cur hos gravior poena premit? Num  
 quod officium didicerunt, quod præstare nullo  
 modo potuerunt? Noli hoc existimare. Sed quod  
 officium turpiter neglexerunt, cum in eo perma-  
 nere potuerint. Alias cognoscendo officium infe-  
 liciores facti essent, quod fortunatum tamen ipse  
 Servator judicat. Joh. 17. v. 3. Neq; amplius vere di-  
 E2 ci

ci posset: ὡς ὁ ἡράκλειος οἱ πόδες τῶν Εὐαγγελιζομένων εἰσήγηνται τῶν ἐναγγελιζομένων τὰ ἀγάθα. Rom. 10.15. Cur ergo Deus in eos gravius animadvertisat, qui officium edoisti, ab officio tamen declinarunt, caussam aliam nec ratio invenit, nec scriptura suppeditat, nisi eam, Deum cognoscere, ejusmodi peccatores, peccati jugo excusso, sibi à poenis præcavere potuisse.

**§ 12.** Neque est, quod quisquam amplius ea de re dubitet, quoniam ii ipsi, qui peccarunt, non dubitant, quin à peccatis, quæ scientes prudentesque commiserunt, se abstinere potuerint. Quis unquam ausus est admissa scelera eo nomine vel excusare, vel extenuare, quod agendi aliter sibi facultas reliqua non fuerit. Ausus quidem servus ille nequam, qui fati necessitate furtum excusabat. Ast adversa conscientia, exuto pudore, malo denique animo, ut Zenonem exagitaret perturbaretque. Hinc & Zeno scelus bene compescuit, dum & a] Laen. 1. fato eum cœdi regessit. a) Qui vero cum virtute 7. § 23. pudorem non perdiderit, testemque conscientiam pectore non ejecerit, is certe non audebit. Saul licet deferti officii prætextum aliquem improbe quæreret, hoc tamen se non defendit, se officium non deserere non potuisse; sed potius, cum quam afferret, criminis excusationem non valere intellicheret, Samueli delictum aperte fatebatur, ejusque veniam petebat: Peccavi, inquiens, quod præceptum Domini & tua verba transgressus sum. 1. Sam. 15. 24. Nisi David, cum & adulterio se inquinasset,

&amp;

& temere arroganterque populum numerasset,  
sibi conscius fuisset, se sibi ab his criminibus cave-  
re potuisse, non tam demisso vultu contritoque  
animo statim, cum admoneretur, *peccavi*, pronun-  
ciasset. 2 Sam. 12. 13. & cap. 24. 10. Daniel suos avos  
apud Deum non excusat, obedire non potuisse;  
sed noluisse eos, palam fatetur. Et quis nostræ æ-  
tatis, dum scelerate agit, non sentit, se à vitiis se  
cohibere posse? Atque id quisque fatebitur, cum  
justissimus judex pectoris consilium revelaturus est. 1.  
Cor. 4. 5. Quod ergo suæ facultatis esse homo no-  
vit, id is qui, quod in homine est, penitus perva-  
det, ignorare non potest; atque id se minime  
ignorare his, quibus dixi, argumentis declarat.

§13. Atque tantum de priore hoc contingenti-  
um genere, quæ Deus novit fieri ab homine potu-  
isse, licet propter hominis vel negligentiam: vel  
cupiditatem, vel malitiam facta non fuerint. Ne  
verò sinistre, quæ hic attuli, à quoquam excipian-  
tur, ante quam ad posterius genus transeam, le-  
torem moneo. me eorum sententiam, qui homi-  
nem ab omni peccato sibi cavere posse statuunt,  
minime probare; sed id tantum asserere, *Deum scire*,  
à multis peccatis hominem se cohibere & sanctius  
quam vivit, vivere posse, non quidem naturæ su-  
perbum viribus, sed gratiæ divinae excitatum auxilio.

## CAP. VI.

§ 1.

Deus no-  
vit, quid  
homo, cer-  
ta aliquia  
conditione  
ipso oblata,  
sit facturus  
Locus  
Matth. II. 21. Ubi hæc verba Salvator profert. Οὐαὶ σοι Χο-  
ραζίν, οὐαὶ σοι Βηθσαϊδαν, ὅτι, εἰ ἐν Τύρῳ καὶ  
Σιδῶν ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι ἐν  
ὑμῖν, πάλαι ἀν ἐν σάπιᾳ καὶ σωδῷ μετε-  
νόνταν. Sunt quidem gravissimi Theologi, qui  
hunc locum de contingentibus sub conditione futuris  
non agere arbitrantur; sed videamus cauſas, cur  
de iis eum agere negent.

§ 2. Verum antequam illas proponam, duo mo-  
nenda censeo.

(a) Primum certum esse, ipsam scientiam  
contingentium sub conditione futurorum DEO inesse.  
Nam qui omnium rerum ordinem, vim atque ne-  
xum perspicit, illum & scire oportet, quid quis-  
que, hac vel illa conditione occasione oblata,  
sit facturus. Idque libenter nostræ ecclesiæ Theo-  
logi concedunt. Gomari hæc sunt verba apud Wa-  
læum in collectaneis ad hunc locum: *Quod autem  
Christus de futura hac Tyriorum, posta illa conditione,  
pœnitentia afferit, illius veritas ex indefinita divina ipfi-  
us naturæ præscientia constat, qua nescit, quidnam, quo  
posito*

posito antecedente, fuisset secuturum. Etiam si neutrum evenererit. Nam posita ea conditione, alterutrum fuisse eventurum, ut aut pœnitentiam agerent, aut non agerent, omnibus notum est ex illo principio, quod duo opposita non possunt simul esse vera: Sed utrum eorum fuisset futurum, cum res fuerit contingens, solus prævidit, qui infinita sua scientia omnia videt; nec solum necessaria; sed etiam futura contingentia certo prædictit. Concedit Gomarus, non solum contingentia sub conditione futura Deo esse cognita, sed etiam Tyriorum pœnitentiam certam futuram, à Christo affirmari si illis contigisset Christi miracula videre: Quanquam illam externam tantum pœnitentiam electis & reprobis communem intelligi velit.

(b) Deinde negari non posse, Salvatoris verba talia esse, ut contingentium sub conditione futurorum scientiam exprimere videantur. Quid ergo obstat, quo minus verba significant, quod significare possunt?

§ 3. Est, qui hoc afferit, Christum hoc tempore hominem a plerisque creditum fuisse; atque ejus cognitionem humanas vires superasse, auditores ejus non credidisse: Ergo ita locutum esse, ut dixerit, quod humano judicio, rebus omnibus bene expensis, erat probabile. Adhæc respondeo.

(a) Licet plurimi Christum hoc tempore prono domine habuerint; propterea tamen te colligere non posse, Christum aliter, quam nondum hominem non egisse aut locutum esse. Accommodarit se aliquando hominum judicio atq; op-

Objectio 1.  
Christum  
dixisse,  
quod huma-  
no judi-  
cio proba-  
bile esset.

Christus  
se Deum  
alicubi de-  
monstravit

opinioni. Aliquando tamen etiam se Deum & verbis significavit & factis demonstravit. Deum se esse ostendit, cum Deum suum esse Patrem aper-te affirmavit, non eo, quo cæteri mortales modo, sed ἰσον ἐαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ Joh. 5. v. 17. 18. cum hoc dixit. πρὶν Αἱραῖμ γενέθαι, εἶγώ εἰμι. Joh. 8. 57. cum remittendorum peccatorum potestatem sibi vindicavit. Marc. 2. 10. cum quam à Dæmonibus in porcos irruendi licentiam rogabatur, illis concessit Matth. 8. 31. 32; maxime etiam, cum ægros sanavit. Non enim humanum ministerium, sed divinum imperium verba, quibus ægros sæpe affatus est, significant. Qualia sunt: Θέλω, καταρίθητι. Matth. 8. 3. Εὕγειρας καὶ ἀπον τὸν κράτος σου. Marc. 2. 11. Εὕξελθε τὸ πνεῦμα τὸ αἰνάθαξον. Marc. 5. 8. Τὸ κοράσιον ἔγειρα. Marc. 5. 41. Διανοίχθητι. Marc. 7. 34. Δεῦρο ἔξω Joh. 11. 41. adde & hoc. Εἴπειμησε τῷ αὐεμῷ καὶ ἐπε τῇ θαλάσσῃ, σιωπα, πεφίμωσο. Talem loquendi modum Moses in creatione Deo tribuit: Fiat lux. &c. Hinc & Christum plusquam hominem esse multi crediderunt. Quid ergo prohibet, cum Christus alibi se plusquam hominem verbis demonstraverit, quin hoc loco idem fecerit, futurorum continentium scientiam sibi tribuendo?

(b) Deinde etiamsi concedatur, Christum nihil divini sibi hoc tempore tribuere voluisse, inde tamen minime sequitur; Christum nil loqui potu-

potuisse, nisi, quod ab humano intellectu judici-  
 oque sit profectum. Prophetæ homines sunt cre-  
 diti, eorumque intellectus humanæ conditionis  
 terminos egredi nunquam est existimatus; num  
 propterea, cum, quæ divinæ cognitionis sunt pro-  
 pria, dixerunt, ea restricta sunt ad humani judi-  
 cii facultatem? Homines per divinos afflatus in-  
 stinctusque divina discere atque dicere posse, hu-  
 mana ratio nunquam dubitavit. Elisæus detexit  
 Syrorum consilia 2. Reg. 6. 9. cognovit Joram  
 improbum animum. v. 32. prædixit ex summa an-  
 nonæ inopia atque caritate repente consecuturam  
 vilitatem; Regisque tribunum eam visurum, sed  
 ea non fruiturum 2. Reg. 7. Hæc qui prænunciavit  
 homo ab omnibus est creditus, non tamen pro-  
 pterea, quæ prænunciavit, humano judicio proba-  
 biliter conjectisse cuiquam visus est. Esto igitur:  
 Christus homo nudus à plurimis est creditus; e-  
 jusque cognitionem humanas vires superasse, au-  
 ditores non existimarunt. Esto: Christus non ali-  
 am, quam hominis personam hoc tempore gessit.  
 Esto: auditorum opinioni suum sermonem ac-  
 commodavit. Num propterea absurdâ locutus  
 esset, si futura contingentia in oratione protulis-  
 set? Prophetam se Christus ubique gessit & plu-  
 rimi crediderunt. Tanquam prophetam ergo  
 de futuris contingentibus ipsum verba facientem  
 æquis auribus atque inoffensis animis audire po-  
 tuerunt; quemadmodum Samaritana illum au-  
 divit enarrantem suæ vitæ præsentem præteri-  
 tum

F

tum-

Prophetæ  
divina lo-  
qui potest.

tumque statum. Quid igitur evincit hæc speciosa ratio? Nihil nisi Salvatoris orationem posse significare id, quod humana conjectura perspicitur. Sed pariter significare etiam potest id, quod divina scientia cognoscitur. Utraque significatio est probabilis. Sed utra utri præferenda? Ego præfero eam, quæ contingentium stabilit scientiam. Quo jure? Quia scripturæ verba eam per se volunt. Quod autem scriptura per significat, ab eo non discedendum, donec idonea caussa afferatur, quæ discedere cogat: Hæc a. in objectione allata non est.

Objectio 2.  
Christi orationem esse  
hyperbolam.

§ 4. Existimant alii de quorum doctrina atq; pie-  
tate nihil detraho, Christo mentem non fuisse docere Ty-  
rios revera ad frugem reddituros fuisse, si Evangelium ac-  
cepissent, virtutesq; quas Galilæi, vidissent: sed oratione  
Hyperbolica Galilæorum contumaciam atq; duritiem exag-  
gerare: locumq; hunc conferendum esse cum illo Luc. 19. 40  
Ἐὰν δὲ οἱ σιωπήσωσι, οἱ λύθοι μεμάζονται.

Videamus, quantum hæc objectio valere possit.  
a) Primum negari non potest, Hyperbolis S. Scri-  
pturamuti, Nihil tam certum est. judicio omnium  
sanorum interpretum. Hæc tamen, opinor, cautio  
est adhibenda, ne, donec propria significationi locus est,  
hyperbole constituentur.

Luc. 19. 40  
compara -  
Matth. 11. v.  
11. atq; ostē  
xru nihil  
esse, quod  
faveat hy-  
perbolæ.

b) Deinde hoc manifestum est. nihil in ipso con-  
textu orationis inveniri, quod eam inbeat esse hyperbo-  
licam. Dictum Luc. 19. v. 40. huic simile non est. Di-  
versa est enunciatio, diversus est scopus, diversus  
est enunciationis nexus. Nam 1) hæc enunciations  
Lapides clamant, Tyrii resipiscunt, non sunt ejusdem  
gene-

generis. Illa est impossibilis secundum naturæ ordinem. Hinc hyperbolæ admittit. Haec vera est, atq; ita vera, ut non solum aliquando Tyrii resipuerint, nempe per prædicatum ab Apostolis eorumq; successoribus Evangelium; sed etiam, ut eorum naturæ atq; officio nihil unquam fuerit tam conveniens, quam resipiscere, secundum Apostolum Rom. 2, v. 4. Ignoras bonitatem Dei ad paenitentiam Te invitare? Quis vero? utriusq; orationis est scopus? In altera Christus Pharisæos docet, necesse esse, ut ipse discipulorum præconio celebretur. In altera Galilæos reprehendit, quod sibi non crediderunt; ostenditque hanc ob causam eos ipsiis Tyriis esse deteriores. Illius ergo scopus est institutio; hujus reprehensio. Quis autem? nexus? Ingeniosus D'Espagne ad hunc locum Lucæ observat; in morte Christi, cum discipuli de laudibus ejus prorsus conticeferent, fissos disruptosque lapides ejus gloriam prædicasse. Hoc si Christus significare voluisse, oratio esset προφῆτης, non ὑπερβολική. Verum, si verborum simplicitatem, loquendiq; usum sequimur, hic verborum potius nexus atq; scopus est: Quemadmodum fieri non potest, ut lapides clamant: ita fieri non potest, ut discipuli mei silent. Jam sane liquet, utrumque membrum non esse æque impossibile. Lapides non clamant per impotentiam: discipuli non silent per voluntatem. Illis clamandi facultas tributa non est; his silendi potestas non ademta. Cur ergo silere non poterant? Propterea, quod ή αγάπη τῷ χριστῷ συνέχει av-  
785. 2. Cor. 5. v. 14. Καὶ ἡ αὐτὴ γὰρ ἐπένειο ἀνθοῖς.  
1. Cor.

i. Cor. 9. 16. confer. Jerm. 20. 7. Cum ergo naturæ  
 impotentia cum voluntatis arbitrio, sensu carentes  
 lapides cum hominibus ratione atque consilio  
 præditis comparantur, atq; ita valde inæqualibus  
 æqualis agendi potestas tribuitur, hyperbole agno-  
 scenda est. Ut in hoc Horatiano: *Quis neget arduis Pro-*  
1.1. Oda. 19. *nos relabi posse rivos Montibus, & Tiberim reverti; Cum*  
*tu coemtos &c.* Aut illo Ovidiano *In caput alta suum la-*  
1. I. Trist. *bentur ab æquore retro Flumina, &c.* Num similis est  
Eleg. 7. *nexus hujus, de quo disputatur, dicti? Prorsus ali-*  
*us. Homines hominibus comparantur, & utri utris præ-*  
*stent. significatur. Comparantura autem in officio,*  
*quod ad utrosq; pertinebat, deserto; deserto autem*  
*ἐν τῆς σιληνοπαδίας, quæ & Tyrios & Galilæos incesserat: Sed longe major atq; insignior oc-*  
*cupabat Galilæos. Id Salvator demonstrat. Qua*  
*ratione? Aut nullam aut hanc affert: Tyrii respui-  
 sent, si iis, quæ Galilæis, gratia contigisset. Hæc omnia*  
*proprie atq; simpliciter dicuntur, atq; convenien-  
 te maximeque naturali nexu inter se junguntur.*  
*Non ergo hic invenio, quod hyperbolæ flagitet.*  
*Intellexerunt hoc alii, iiq; ejusdem caussæ, quam*  
*cæteri, quibus hyperbole placet, tuentur. nec indocti*  
*nec incelestres socii atq; defensores, qui neglecta*  
*hyperbole, de Tyrorum conversione, sub proposita condi-*  
*tione futura, Salvatorem loqui, aperte affirmant.*  
*Non omnes quidem eodem modo. Quibusdam*  
*Christus loqui videtur, de ea morum mutatione, quæ*  
*Tyrorum rempubl. non animas conservasset. b. e. de quo-*  
*rundam factorum, non totius animi; de externa, tempora-*  
*ria,*

ria, inconstanti : non interna, perpetua atq; firma. Alii veram atque salutarem intelligi posse statuunt. In quibus ipse Coccejus non ignobilis profecto scripturæ indagator atq; interpres. Hic de hoc loco ita sentit: *De Tyro & Sidone Matth. 11, 22. pronunciantur futura sub conditione ; sed futuritionem conditionatam sive veritatem verbi conditionati defutura re videt DEus aut in sua decentia, aut in sua ordinatione.*

§ 5. Ergo cum in textu ipso nulla sit causa, quæ hyperbolæ suadeat. aliunde illa peti debet. Quæ vero illa est, quæ a simplice, proprio atque conveniente sensu nos discedere cogat? Num quod DEus contingentia conditionata nesciat? Jam ante monitum est, hanc cognitionem consentientibus nostræ Ecclesiæ Theologis, in DEum cadere. Quid ergo obstat, quo minus nobis credere liceat, DEum scire, Tyrios se se conversos fuisse, si Evangelium tot tantisque miraculis confirmatum illustratumque accepissent?

a) Primum hoc, ne externis mediis, veluti verbo<sup>a)</sup> nudum verbum nō atq; miraculis convertendi vis atque facultas tribuatur. habet con- Sed tribuit scripture Rom. 1. 16. Evangelium δύνα- vertēdi vim μις Θεος ἐστιν εἰς σωτηρίαν πάντι τῷ πιστεύοντι. Verum, inquis, non sine prævia atq; comite interna gratia. Non est, quod hanc exclusam esse velimus. Non excludunt certe ii Ecclesiæ reformatæ Theologi, qui hunc locum de vera Tyriorum conversione agere statuunt. Perit ergo ille timor; & simul objectionis vis. Atque ita Ipse Hoornbeekius non valde repugnat, de vera & salutari conversione

Summ.  
Theol.c. 10.  
§ 34.

Rationes  
examinan-  
tur, propter  
quas oratio  
hyperbolica  
esse creditus

one locum intelligi posse, si gratia subaudiatur.  
 b) Salutaris  
 gratia est e-  
 orum, qui *pria esse creditur*, fiet universalis, atque in ipsis re-  
 salvantur, probos cadet. Hypothesis autem *Particularis gra-*  
*tie hocnegat. Hec altera & potissima caussa, cur Chri-*  
*sti oratio hyperbolica esse credatur.*

Num ex  
 haec hypo-  
 thesi Christi  
 oratio fe-  
 minis proprie  
 hujus dicti verba intelligentur.  
 explicanda. *Quod si verum est, habeo satis, qui non de gratiae*  
*hic dispergo latitudine, sed de scientie divinæ profun-*  
*do. 2) Si tamen impedit, uti aliis rem accurate atq;*  
*diligenter perpendentibus videtur, consideran-*  
*dum est, utrum Salvatoris oratio ex hypothesi explica-*  
*da, an hypothesis ex Salvatoris oratione corrigenda. Ubi*  
*utriusq; caussæ momenta atq; pondera examina-*  
*ta fuerint, quid judicandum sit, liquebit.*

*Christi ora-*  
*tio est sim-*  
*plex atque*  
*evidens.*

*§7. Qua specie Christi oratio se offert? Illa uti-*  
*que simplex atque evidens apparet. Recensemus*  
*integrā. Salvator indignabundus Chorazitis*  
*horrendum *væ!* æternumq; exitium comminatur.*  
*Qua de caussa? Num forte quod quorundam fa-*  
*torum pœnitentiam non egerunt? Nimis mani-*  
*festum est, Salvatorem in Galilæis veram ad*  
*DEum conversionem & *ἀνυπόκριτον* in se præ-*  
*sentem Messiam desiderasse fidem. Desideravit*  
*enim id, de quo ad illos toties verba fecit, quodq;*  
*tot exhortationibus flagitavit ιηρύσων ἡ λέ-*  
*γων, ὅτι πεπλήρωται ὁ παντός, καὶ ἡγγινεν ἡ*  
*βασιλεία τῷ Θεῷ. Μέλανοι τε ἡ πισεύετε εν τῷ*  
*Eu-*

Marc. I. v.  
 14. 15.

Eudayyelio. Huic autem flagitationi Galilæi suis officiis non responderunt; propterea Salvator iis succenset & terribiles poenas minatur. Verum nonne hæc indignatio iniquior, atq; lata sententia paulo est severior? Fortasse major ex morum corruptione atq; longa vitiorum consuetudine eorum fuit imbecillitas. quam ut obsequi atq; resipiscere potuerint, ut non tam illorum à Christo sit accusanda voluntas. quam illis desufficiente gratiæ querendum auxilio. Has cogitationes Salvator occupat, respondetque σὺν Φανερώσει πρὸς πᾶσαν συνείδησιν αὐτῷ πάντων hunc in modum: Ea gratiæ munera in vos. ô Galilæi, à DEO sunt profecta, ut ejusmodi excusationi locus non sit. Quid ni? Tyrii vitiis omnibus obruti atque sceleribus olim infames, acta peccatorum poenitentia respuisserunt, seque ad Deum & quidem cum summa animi demissione vere convertiissent, si illis hæc gratia contigisset. Quo igitur gratiæ dono corruptissima atq; perditissima gens converti potuisset, id vobis etiam, quibus major cognitionis lux jam à Patribus usque affulxit, sufficit. Videtis ergo, quam juste ego mitissimus atq; omnium mansuetissimus de vobis horrendum vœ! atq; exitiosam sententiam pronunciem, cum ipsis Tyriis sitis contumaciores. Annon hæc sit simplex maximeque conveniens verborum Christi expositio, judicet, qui remotis præjudiciis judicare didicit.

§ 8. Evidentes autem in hac oratione veritates exprimuntur. Prima est; Christum veram con-

ver-

versionem, veramque fidem à Galilæis flagitasse. Hanc nemo in dubium vocare potest. Altera, quod Christus Galilæos flagitavit, id eos præstare potuisse, nisi enim potuissent, mitissimus Salvator iis non succensuisset; sed pro sua Philanthropia eorum conditionem potius miseratus fuisset, uti fecit alias Matth. 9. 36. Matth. 14. 14. Namque illum non genuit

Duris cautibus horrens.

Caucasus, Hyrcanæq; admirunt ubera Tigres.

Tertia: Futurum fuisse, ut Tyrii mortalium deterrimi vere resipuisserent, & ad DEUM se convertissent. si illis divina gratia æque ac Galilæis aucta exagerataq; affulsiasset. Conversionem oratio distincte exprimit, veram autem & salutarem nisi intelligas, oratio absurditate liberari non potest. Argumentaretur enim Salvator hoc modo. Sinceram à vobis, ô Galilæi, pœnitentiam atq; fidem flagito; quoniam autem meas exhortationes spernitis, vœ vobis denuncio, nimium contumacibus atq; *ipsis Tyriis* pejoribus. Quamobrem? si Tyriis ea occasio oblata fuisset, externam quorundam factorum pœnitentiam egissent. Quis non animadvertis, hanc argumentationem sine pondere esse, atq; à Christisco po aberrare, cui propositum fuit, ostendere. Tyrios *non minus quid*, quam Galilæi præstare jubebantur; sed magis atq; excellentius *quid* præstituros fuisse, ut pudore contumaces Galilæos perfunderet.

Quarta hinc clarissime sequitur: Si jam ad Christi

CHristi exhortationes atque miracula Galilæi se convertere & Christum vera fide recipere potuerunt; Tyriique se re ipsa convertissent, id fieri oportuit, *aut naturæ viribus, aut gratiæ beneficio.* Naturæ viribus vera poenitentia atque fidei initium fieri posse, Pelagii est opinio scripturis sacris inimica & à puriore Ecclesia rejecta. Ergo divinæ gratiæ, quæ ipsis data fuerat, auxilio. Certum igitur Tyrios atq; Galilæos sufficiente ad conversionem gratia destitutos non fuisse. Est igitur gratia quædam communior, cuius & ii, quos eventus ostendit esse reprobatos, sint participes. Res si aliter habet, vicit Pelagius, & natura in salutis negotio aliquid valet sine interna gratia.

§ 9. Hanc dicti vim ac consequentiam quidam Eruditæ Theologi, qui gratiam electorum faciunt propriam, perspicentes, ne naturæ vires stabilire cogantur, negant, Chorazitas se convertere potuisse. Tyriosque se vere conversuros sub profita conditione fuisse; affirmantque Christum aut hyperbolice locutum, aut id dixisse, quod humana conjectura colligas. Atque ita evidentem Christi sententiam in dubium vocant, ut suam opinionem retineant & Pelagianis occurrant: cum, si gratiam sufficientem non electis concederent, naturæ pariter patronis resistere & evidentem hujus dicti sensum tueri possent.

§ 10. Sed estne eorum opinio æque evidens, ut cum hoc dicto certare possit? Vereor, ut possit. Primum quidem habet disertam scripturam, quæ comparatio evidetia hy pothesios atque hujus dicti.

G ele-

electis peculiarem quandam gratiam attribuit; deinde habet etiam probabiles quasdam rationes, quæ non- electis gratiam adimere videatur: Nullus tamen locus ex scriptura afferri in medium potest, qui diserte atque aperte non-electis omnem gratiam negat. Sit ergo illi sententia sua probabilitas; evidencia tamen non est. Nostrum autem dictum evidentissime Tyriorum conversionem sub conditione futuram affirmat; si jam utriusque caussæ momenta contendamus, quid est, de quo judicandum? Hoc in quæstionem venit: Utrum à simplici atque evidente scripturæ sensu sit abeundum, ut sententia quædam probabilis à multis Theologis adoptata quidem, non tamen diserte in scriptura proposita defendatur; an vero probabilis sententia in dubium vocanda, ut simplex atque diserta scriptura retineatur. Hæc lis, hæc pugna est? Sed quomodo componenda? Non nostrum est equidem tantas componere lites. Æquitas tamen hunc modum suggerit, ut probabilitas evidentiæ cedat. Ergo defendatur illa peculiaris electorum gratia, quia diserte à scriptura afferitur: sed ita, ne sufficiens quædam gratia non-electis adimatur, & evidens quædam scripturæ sententia imminuat, aut aliorum trahatur.

§ II. Si hoc judicium minus placet, Ego quidem nolo quenquam criminari, qui sententiam aliquam ἐν παθαγαῖς παθδιαῖς, οὐ συνειδήσεως δύαθης ή πίσεως ανυπομέτρη retinet ac defendit: Sed eam mihi vicissim posco gratiam, ne me

me improbe facere quisquam existimet, si obscurum Theologorum sententiam ad perspicuum scripturæ dictum potius conformandam, quam scripturæ simplicem sensum ad ejusmodi sententiam accommodandum censeam. Ita sentire mea mihi conscientia imperat. Neque ita sentiens vel à scriptura, vel veteribus Ecclesiæ reformatæ Theologis discedo. Scriptura certe non obscurius non-electis sufficientem quandam gratiam assignat, quam electorum gregi singularem quandam benevolentiam vindicat. Ita statuerunt etiam veteres nostri nec obscuri Theologi. In quibus, qui meam Patriam, Bremam, illud reformatæ Ecclesiæ in Germania hospitium & literarum optimarum domicilium exornarunt & quasi nobilitarunt, minime sunt prætereundi; Matthias Martinius, Ludovicus Crocius, Conradus Bergius atque alia clarissima nomina. Hi firmiter statuerunt, electis ex æterno decreto singularem quandam, eamque victricem gratiam à Patre gratiæ atque misericordiæ nat’ evdoniav’ aūl’ esse constitutam, & in tempore contingere; non tamen adduci potuerunt, ut crederent, non-electos divino auxilio, quo minus resipiscere possint, plane esse destitutos. Leges sis D. Holtzfußi tractū Theol. de Prædestinatione & reprobatione hominum. Sed quid de gratia hic dispuo, cum aliud mihi sit propositum? Quicquid dictum est, dicendum fuit, ut appareret, hypothesis de gratia Particulari obstat non oportere, quo minus hoc dicto Matth. 11. v. 21. probetur, quod initio capituli proposui Deum scire, quid homo, si hæc vel

illa conditio ipsi offeratur, facturus sit, licet id non faciat, propterea quod conditio ipsi non est oblata. In hoc autem dicto enarrando cum prolixior fuerim, superfedebo alia afferre, in primis cum ipsa res à Theologis in dubium non vocetur.

§ 12. Ad hanc materiam pertinet quæstio, Num DEus etiam sciverit, multos eorum, quibus olim Evangelium prædicatum non est, Evangelium fuisse repudiatores, si prædicatum fuisset; & propterea eos Evangelio non sit dignatus. Quid respondendum? Tria in hac quæstione sunt expedienda. Primum est, an multi eorum, qui Evangelium non acceperunt, Evangelium contempsissent, si id accepissent. Alterum, an DEus hos præviderit. Tertium, num propterea futuros gratiæ contemtores Evangelio non dignetur.

§ 13. Primum veritati valde consentaneum est. Scriptura quidem id diserte non dicit; dicit tamen, unde id colligas. Notabilis est illa Salvato-

a] Num multi eorum, qui Evangelium non audierunt, Evangelium contempsent, si id audivissent  
ris sententia. Multi sunt, qui per portam latam & spatiosem illam viam, quæ in exitium abducit, ingrediuntur. Pauci vero, qui angustam portam strictamque illam viam quæ ducit ad vitam, inveniunt. Matth. 7. 13. 14. Verborum nexus indicat, hanc sententiam universorum hominum pravas voluntates perversasq; mores respicere. Hortatur enim Servator homines, ut intrent dia sevñs πύλης; neque id negligenter agant, sed ut summa vi atq; ope nitantur. Αγωνίζετε εἰσελθεῖν. Luc. 13. 24. Cur id? Facilis defensus averni. Nostra ingenita pravitas, nostri

mo-

mores segniter nos agentes, καὶ περὶ τῆς γῆς οὐτε λέθειν, aliò rapiunt. Hinc pauci sunt, qui per angustam portam intrant. Multi qui aliò flectunt iter. Si jam hæc sententia universum hominum genus respicit, ab iis multis, qui eam eligunt viam, quæ ad exitium ducit, non segregandi ii, qui Evangelium non audiverunt, etiamsi audivissent. Si segregandi ab hac aberrantium multitudine; sequetur, eam hominum partem, quam Deus Evangelio non est dignatus, natura meliorem atque Evangelio digniorem esse; cum ingens inter eos, ad quos Evangelium pervenit, sit numerus ὁ ἀπειθῶν μὲν τῇ αἱληθείᾳ, πειθόμενος δέ τῇ αἵδινᾳ. Quæ vero causa diversum nos de iis, qui Evangelii non sunt participes facti, sentire jubet? Omnibus idem est ortus, eadem animorum corruptio, eadem peccandi illecebra, eadem voluntatum ad vitia inclinationes. Tum quos vides civilibus legibus communiq; honestati audacter atque impudenter repugnare, eos legi fidei obsequi velle speres? Salvator hoc nobis insuffravit: οὐ εὐ ἐλάχιστος ἀδινός, καὶ εἰ πολλῷ ἀδινός εἴη. Non dubito igitur affirmare, multos eorum, qui Evangelium non acceperunt, Evangelium repudiatores fuisse, si accepissent: atque idem multos eorum, ad quos nostra ætate Evangelium non pervenit, esse facturos, si perveniret.

§ 14. Quod spectat ad alterum, num Deus, qui nam Evangelium contempsissent, præviderit. Si vera sunt, quæ ante de divina scientia afferui, id quo-

b] Num  
Deus novit  
qui con-  
tempsissent.

quoque verum esse oportet. Res autem ita demonstrari potest. Si DEus perspicit, quinam inter eos, quibus Evangelium non est annunciatum, sint, qui resipuerint, si annunciatum esset, perspicit etiam, quinam inter eosdem sint, qui non credidissent. Hæc enim ita sibi sunt opposita, ut qui unum novit, alterum ignorare nequeat. Alterum enim ex altero cognosci potest, quemadmodum ex luce tenebrae, ex calore frigus, ex visu cœcitas, ex scientia ignorantia. Antecedens autem verum est Tyrii sunt exemplo. Verum, inquis, cognitio illa de Tyriorum conversione, est cognitio rei præteritæ. Tyrii enim jam tum, cum Salvator de eorum animis judicium ferebat, extiterant; de existentibus autem & de iis, quæ extiterunt, facilis judicatur, quam de venturis. Ergo ita pergo: quicquid DEus novit de iis, qui vivere desierunt, idem eum etiam prænoscere de iis, qui nondum esse coepérunt. Quomodo id demonstratur? Hoc patto. Primum temporis futuri vel præteriti diversitas nullam in intellectu Dei diversitatem efficit. Omnia Deo sunt præsentia. Quicquid igitur novit de præterito, novit etiam de futuro tempore. Et quicquid Christus diebus carnis suæ de Tyriis novit, novit etiam, antequam Tyrus esset, quodq; de Tyriis, etiam de aliis; nisi stulte judicas, nō æq; cæterorum ac Tyriorum voluntates Deo esse cognitas. Deinde in ipsa re nullum est discriminem. Liberæ enim mereq; contingentes actiones, & quidem tales, quæ nunquam extra suas caussas productæ sunt, non facilius cognoscuntur de præterito, quam de futuro.

tuo tempore, si cognitionem certam & non conjecturam intelligis. Utroq; enim modo sunt actio-  
nes liberae, non existentes, atq; à cognitione ac  
pervestigatione finitae creature prorsus remotæ.  
Argumentari licet etiam hac ratione. DEus præ-  
scit, quinam ex iis, quibus verbum salutis prædi-  
catur, dilectionem veritatis non sint recepturi;  
quemadmodum prævidit Judæos Dominum ac  
Salvatorem suum reprobantes. Esa. 8. 14. Ps. 118. 22.  
Esa. 49. v. 4. Atq; ex gentium multitudine multos  
CHristo mentientes. Ps. 18. v. 45. Eumq; deserentes  
ac gentium ritu multa improbe facientes. Apoc.  
11. 2. 2. Tim. 3. 1. 2. 3. 4. 5. Quidni ergo etiam nossent,  
quinam ex iis, quibus Evangelium non prædicatur,  
illud spernerent, si audirent. Non majorem hic  
ratio invenit difficultatem, quam illuc. Utroque  
enim modo Dei intellectus versatur in cognoscen-  
da hominis nondum existentis voluntate, qualis  
futura sit erga oblatum Evangelium. Quemad-  
modum autem in iis, quibus Evangelium annun-  
ciatur, divinam cognitionem esse certam eventus  
comprobat; ita ex hoc eventu de horum voluntata-  
te, quibus Evangelium non est oblatum, divinam  
cognitionem æque certam esse, tuto ratio judicat.

§15. Tertium est, an DEus propterea ejusmo-  
di homines Evangelio non dignetur? Cave, hic  
temere quid dicas. Quid ergo respondendum?

Num pro-  
pterea ad  
eos Evan-  
gelium non  
pervenerit

a) In genere, Deum ita agere *κατὰ τίν*  
*εγλήν τε θεληματικῶς*.

b) Multas causas speciales esse posse, nobis  
ignotas, cur Deus hos velillos populos Evangelio  
*non*

non dignetur, quas omnes esse justissimas, ne dubitari quidem potest. Οὐ γὰρ ἄδινος ὁ Θεός. Hebr. 6, 10. Deut. 32, 4. Ps. 145, 17.

c) Ut scriptura nullas caussas speciales commemorat, sic nec hanc ab illa significari.

d) Cum tamen nec neget scriptura, inter alias caussas hanc esse posse; absurdum non esse ita sentire. Theologis certe quibusdam reformatis ita visum est. Misericordiaē divinæ contemplatio argumentum suppeditat. Ita enim cavitur improbis, ne in graviores pœnas incident, in quas inciderent. *Si iustitiae via cognita sese converterent εἰν τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς αἴγιας ἐνολάντις.* 2. Pet. 2. 21. Nam qui voluntatem DEI distinctius perficiusque novit, eamque non facit, in eum severius animadvertisetur. Luc. 12. 47. Quanquam cum hoc misericordiaē divinæ convenire affirmo, id ita intelligi volo, ne misericordiaē adversum esse inde concludatur, si quos Evangelio abusuros DEUS prænoscit, eos tamen Evangelio impertit. Suæ DEO sunt caussæ, cur ita agat. *Τίς εἶνω νῦν κυρίς;* Ejus consilium altius est repositum, quam ut humana mens eò pertingere sperare possit. Ergo abstine: est hīc *εἰδος.*

### CAP. VII.

#### § I.

**T**antum de objecto, sive rebus, quas DEUS cognoscit. Plura alia afferri possent, de quibus in Scholis est disputatum olim, & nunc disputatur.

tatur. Sed otiosis quæstionibus minime delector; quæ in vita usum habent, compmemorare volui. Quæ tamen tot tantaque sunt, ut si quisea omnia sigillatim secum in animo suo computare complectique conetur, multitudinis innumerabilia esse compcriat. Cognoscit enim DEus res actionesq; naturales, cognoscit voluntarias; atque ita eas cognoscit, ut non solum præsentia videat, præteriorum non obliiscatur, sed etiam futura præficiat. Atque inter futura cum necessaria, tum contingentia; In his autem tum quæ vere ali quando fiunt, tum fieri possunt, tum ea, quorum benignus est auctor atque commendator, tum ea, quorum severus est ultor & justus punitor.

§ 2. Primum quicquid DEus præcognoscit, ita præcognoscit, ut notitia ejus falli non possit; sed certissimum præcognita res habeat eventum. Documento sunt ea, quorum eventus à prophetis est prædictus. Quod autem DEus de his certo præscivit, de omnibus certo præscire credendum est, cum omnia ejus oculis sint τετραχηλισμένα. Hebr. 4.v.13, Ipsa ratio intelligit, tales Dei notitiam esse oportere. Nam a) in perfectissimo id inesse debet, quicquid ratio perfectum esse judicat. Perfectius autem est, certo omnia scire, quam per conjecturam quandam perspicere. Propositio major nisi vera est de omnibus Dei attributis atque

a) DEUS  
præscit o-  
mnia certo.

H vir-

virtutibus multa imminui detrahique possunt,  
 quæ ante à Theologis sunt tradita, & ab Ecclesia  
 recepta: Deinde vix sua veritas dicto Davidis  
 constat: Ps. 139. v. 6. *Mirabilis est scientia p̄ me; su-*  
*blimis est, non valeo ad illam pervenire.* Tam perfectam  
 sublimemque Dei esse scientiam hic David indi-  
 cat, ut eo ascendere, cogitando, ratiocinandove  
 non valeamus. Ergo plus perfectionis divinæ  
 scientiæ inest, quam nos comprehendimus. Num  
 ergo ea perfectio abesse potest, quam comprehen-  
 dimus? Si abesset, perfectiorem DEUM com-  
 prehendere possemus. (b) Porro, nisi DEUS  
 certissime omnia etiam futura contingentia sci-  
 ret, sed falli aliquando posset, posset etiam alios  
 fallere: Nempe Prophetas, quos futura conti-  
 gentia prædicere juberet, atque eos, quibus pro-  
 phetae futura contingentia auctore Deo annun-  
 ciarent. Si posset fallere, nunquam tuto ipsi habe-  
 ri posset fides, quoties futuros eventus ad terren-  
 dos improbos prædiceret; aut ad solandos pios  
 promitteret. Dubitari enim posset, annon fal-  
 let. Qua re fieret, ut religio caderet. Quod ne fiat.  
 toties nobis inculcat, se esse πιστὸν, αἱληθεῖον,  
 αἰψευδῆ. Noli ergo de hac Dei perfectissima sci-  
 entia dubitare, nisi Deum vis abnegare. c) Præ-  
 scientiam futurorum ita suam esse propriam Deus  
 ipse affirmat, ut ab aliis falsis numinibus per eam  
 discernatur, Esa. 41. v. 23. Annunciate nobis, quæ  
 post ventura sunt, & cognoscemus vos esse D̄os.  
 Hoc autem DEI proprium, nisi certum esset, pro-  
 prium non esset. Probabiliter enim de rebus fu-  
 turis

turis conjicere, etiam Angelorum, dæmonum atque hominum est.

§ 3. DEUS quicquid prænoscit, etiam sancte prænoscit. Prænoscit actiones malas; absit tamen ea à nobis impietas, ut DEum malarum actionum vel auctorem vel suaforem esse cogitemus. Malum quod est, DEUS odio prosequitur, vindicatque. Naturæ suæ adversum esse testatur. Lev. II.  
 44. Ps. 5. v. 5. 6. 7. Habac. I. 13. Quisquamne ergo, qui, quid DEUS sit, mente concipit, DEum scele- rum faciat auctorem? DEus malum nec facit, nec fieri suadet, nec facto delestat. Aliter reformata Ecclesia nunquam sensit, nunquam docuit. De ea autem qui aliter sentit, errat; qui eam aliter sentire dicit, ei inhumane conviciatur.

§ 4. Tandem quicquid DEus scit, ab æterno scit. Act: 15. 18. Γνωστὸν ἀπ' αἰώνος ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. I. Petr. I. v. 20. Christus præscitus πρόκαλεολῆς κόσμος. Ergo & ante conditum mundum præscivit lapsum, in cuius medium Mediator ordinatus est. De hac re ita Seneca: *In prima illa constitutione cum universa dis-ponerent diis, etiam nostram viderunt, rationemque ho-<sup>c. 23.</sup>* minis habuerunt. Tempus nullam DEO cognitio nem affert. Nobis aliud est præteritum, aliud futurum. Nobis alia effluunt, alia succurrunt. Nos mutamur & omnia circum nos. Hinc vide mur, qui ante non vidi sumus; & videmus, quæ ante non vidimus. Nunc hoc, nunc illud quod ante nescieramus, videndo, audiendo, sentiendo

disceptando, ratiocinando cognoscimus. Et quæ imbibimus cognovimusque, obliviscendo tandem nescimus. Ita fluxum atque mutabile est, quod cognoscimus, & nos ipsi, qui cognoscimus.

*Aeternus DEus sibi semper constat, atque illius*

*Senec. l. 2. divinitati omne est praesens. Moses Tabernaculum vi-*  
*Benef. c. 36. dit, antequam esset fabricatum extactumque.*

Ita Deo omnia extiterunt, antequam fuerunt.

Hinc nec prævidere de Deo proprie dici Scaliger argumentatur, dum ita scribit ad Cardanum:

*Exercit. 365 Quare ut illud quoque subtilius excutiamus, ne verbum  
n. 8. in fine. quidem prævidere convenit Dei omnipotentie: nisi quoad  
nostra mœtula intellectione metimur infinitatem, nobis  
quidem, quibus est futurum, præviso illa est. DEUS cui  
nihil futurum est, non prævidet, sed videt simplicissime,  
quod est praesens. At omnia praesentia.*

§ 5. Ex hac æterna scientia Dei confirmatur etiam illa quæstio: An Dei omnipotentia in non ens agere possit. Nam si DEus cognoscit, providet, ordinat, quæ nondum sunt, agit utique in, non ens. Nam cognoscere, providere, divinæ mentis sunt actiones. DEus autem cognovit lapsum antequam esset, qui laberetur: providit, ne unius lapsus omne posterum genus in ruinam traheret constituto Mediatore, antequam humani generis stirps procrearetur. Hæc quidem supra nostrum sunt sensum; sentimus tamen in contemplatione Dei, quæ per nos sentire non possumus. *ω Εάνος γνωστεις!*

CAP.

## CAP. VIII.

§ 1.

**Q**uæ haec tenus sunt proposita manifestis S.  
Scripturæ nituntur testimoniis. Sequitur  
nunc *confidatio rationis*, qua DEUS omnia cognoscat.  
In hac parte Scriptura suam non ubique nobis  
commodat auctoritatem. Canto igitur pede hæc  
via ineunda est, progrediendumque non quo cu-  
piditas impellit, sed quousq; per scripturam licet, hic *Quantum*  
ne à Scriptura deserti, ab ea ita discedamus, ut *9os!*  
quæ ei sunt contraria afferamus,

II. Pars, I.  
vestigatio  
rationis,  
qua DEUS  
omnia co-  
gnoscit.

§ 2. Diversam autem rationem pro objecti diver-  
sitate concipi posse arbitror.

§ 3. *Res praesentes* DEUS intuetur cognoscitque  
per suam immensitatem. Nam quid eum latere po-  
test, qui cælum & terram implet? *Ier. 23. 24.* Qui non  
longe abest ab unoquoque nostrum? Per quem vivimus mo-  
vemur & sumus? *A&t. 17. v. 28.* Id quod etiam genti-  
les de Deo crediderunt. Nam ita Poëta canit: *Jovis*  
*omnia plena.* a) Cui ille S. Paulo notus præivit. b)

Præsentia  
DEUS no-  
vit per im-  
menses.

a) Virgil.  
Eclog. 3. v.  
6c.  
b) Aratus.

- μεσαι δε Διος πᾶσαι μὲν αὐγαί,  
πᾶσαι δ' αὐθεώπων αὔγοραι, μεσην δε Γαλακτα φα-  
καὶ λιμένες. Πάνη δε Διος μεχερές δαῦδρες. νομοί.

§ 4. *Res præteritas* novit per suam immutabili-  
tatem. Nam ita de se ipse DEUS: *Ego Jehova non mu-  
tor. Mal. 3. v. 6.* Apud Patrem lumen, oīn ēvi πα-  
ταλλαγή τροπῆς ἀποστασμα. *Jacob. 1. v. 17.*  
Ergo oblivio in illum cadere non potest, quæ sum-  
mam illi afferret mutationem. conf. cap. 3. § 6. 7.  
hujus disp.

principio.  
Præterita-  
per immu-  
tabilitatem

H 3

§ 5.

Futura necessaria ex mere *sunt naturales*, eas Deus prænovit ex *eterna aeterna cōstitutione sua* *atque immutabili ordine*, quem iis præscripsit. Nam *stare fecit cœlos & quæ in cœlis apparent, in perpetuum, in seculum.* *תְּמִימָה statutum dedit & non transgreditur* quicquam. *Ps. 148. v. 6.*

**De contingentibus** *difficultas.* Silapsus non contigisset, hominesque nil nisi recte agerent, non opinor, quenquam contumaciter repugnaturum, si sentires, Deus ex legge, quam humano generi præscripsit, aeternoque imperio cui homines parent, eorum actiones prænoscere. Nunc cum homo etiam male agat, Deusque malas actiones, quorum auctor non est, tamen præsciatis, de hujus præfensionis valde laboratur fundamento. Verum non plane Scriptura S. nos destituit. *Duo* *hac* *ejus* *autoritatem* *secuti* *tuto* *asserere* *possimus.* *Unum* *est,* *DEum* *futura* *contingentia* *scire* *per* *intellectus* *sui* *infinitum* *lumen.* *Alterum:* *res* *contingentes* *etiam* *malas* *à* *Deo* *ante* *esse* *decretas* *atque* *definitas.*

**Scriptura** *dicit, Deū* *per lumen* *futura* *con-*  
*tinctus* *sui* *lumen,* Daniel affirmat. cap. 2. v. 22.  
*Dum* *ita* *Dei* *gloriam* *deprædicat:* *Ille* *revelans* *est*  
*tingentia* *profunda* *atque* *abscondita:* *cognoscens* *est,* *quod* *in* *ten-*  
*scire.* *bris* *est.* *Nam* *LUX* *cum* *illo* *habitat.* In hoc dicto Daniel.

a) *Primum* *rerum* *præteriorum* *Deo* *tribuit* *moriām.* *Nam* *somnii*, *quod* *Nabuchodonosori* *excidērat,* *notitiam* *Deo* *acceptam* *refert.*

b) *Deinde* *Deo* *etiam* *affignat* *futurorum* *con-*

tingentium præscientiam. Nam afflatu divino somni didicerat significationem. Res autem, quas imago , Nabuchodonosori per quietem visa, præsignificabat, esse contingentes, *supra c. 4. § 5.* monui. Si autem dubitas, evolve historias, tecumq; considera ; ut Cyrus, qui subiectis Babylonii imperium abstulit, simul atq; est editus, ab avo morti fuerit destinatus, ut ab Harpago servatus, ut à Pastore educatus, ut Harpagicum exercitu transitione Medis potitus, atque ita Persarum Medorumque auctus viribus finitimos regnis exuerit, Persicunque imperium miris modis ampliarit : Considera Darii Hystaspidis artes , bella, bellorumque eventus & latum illius successorumque per Asiam Dominatum: Considera Alexandri dubium ortum ; educationem, in locum occisi Patris, exercitu hoc illuc animos agitante, successiōnem ; belli Persici suscipiendi consilia , gerendique animos ; totque gentium populorumque viatoris suis vitiis vici exitum : Considera tandem *Res Italas Romanorumque triumphos*, contingentia hæc esse , incertum esse non potest.

c) *Tertio loco* ostendit caussam, cur Deum taliia non lateant, cum tamen antequam fiant, ab hominum oculis cogitationibusque sint remota; inque caussis suis veluti in profundo quadam lateant. & caliginosa quadam nocte tegantur. Quæ verò illa est? וְנֹהָרָא שְׁרֵךְ Nam LUX cum illo habitat. Præfixum' sæpiissime causaliter accipi notum est. Vid. Cocceji Lexicon & Glass.

Gram-

Grammat. pag. 689. Hoc autem loco causaliter accipi oportere, suadet emphasis orationis, quæ hoc pacto longe plenior atque illustrior fit: *Contra si vis esse copulativum, frigidum quoddam vides additamentum. Quid sibi autem vult sententia, apud DEum LUX habitat? In luce omnia apparent; per lucem res videmus & cognoscimus. Sicut luce cum sumus, in tenebris sumus, nihilque cernimus. Namque tegit nox atra colores.* Cum Deo ergo cum dicitur lux habitare significatur, omnia ipsi esse præsentia, quæ nobis non apparent: DEUM intellectus sui lumine omnia intueri, quæ nostris oculis cogitationibusque non sunt exposita. Hanc divinæ præscientia rationem Daniel indicat. Atque hæc ratio nobis displicere non debet, nisi Daniele arcanorum divinorum peritores videri volumus. Si autem instas, & quale illud sit lumen, quæris; respondeo, esse *φῶς ἀπόστολον*. Quod non solum capere tua mente non potes; sed ne tentare & investigare quidem, ut capias, debes. Igitur modesti Theologi, qui à Daniele dissentire nolunt, in eo convenire debent. *Deum futura contingentia præcire per intellectus sui infinitum lumen.* Hæc ratio à Theologis reformatis usurpata atque approbata semper est, c) etiam ab iis, qui Absoluto decreto alias favent. *Coccejus ad locum hunc 1. Tim. 6. 16. hæc m. F. 570. annotat.* At hic significatur LUX, sive cognitio, quæ superat omnem cognitionem creature. Quo pertinet, quod ipsi à seculo cognita sunt ipsis opera. *Act. 15. 18. Quod in libro ipsis scripti sunt omnes dies formandi. Ps. 139. 16.*

Quod

Quod omnia pulchre fecit tempore suo. Eccles. 3. 11  
 Quod nos elegit in Christo antefundationem mundi, & filios designavit. Quod futura, etiam peccata hominum,  
 & quæ occasione eorum acturus erat, per prophetas descri-  
 bi curavit. Quam cognitionem homo non assequitur.

§8. Alterum illud, res contingentes, etiam malas, à Res male  
 Deo esse ante decretas atq; definitas, scriptura quoque non sunt prede-  
 obscure docet. Sequentia loca id evincunt. Luc. 2.34.

Simeon de Christo ita vaticinatur. Ιδε γέτονται εἰς πτῶσιν καὶ ανάστην πολλῶν. Ecce hic  
 positus est in casum resurrectionemque multorum. Luc.22.  
 23. Christus de se ipse dicit: Filius hominis πορεύε-  
 ται κατὰ τὸ ὀρισμένον. Vedit secundum id, quod de-  
 finitum est. Act. 2.23. Lucas scribit Christum ἐνδότον  
 ὠρισμένην έσλην καὶ προγνώστει τῷ Θεῷ. Tradi-  
 tum definito consilio & præscientia Dei. Act. 4. 28. Herod-  
 es & Pontius Pilatus cum gentibus & populo Israelitico  
 fecisse dicuntur, ὅστις οὐκ ήταν οὐδὲ έσλην τῷ Θεῷ  
 προώρισε γενέθλια. Vides in his dictis distin-  
 ete expressum.

a) Decretum. Nam κέιμα ad decretum consiliumque  
 Dei commode refertur quod patet ex aliis locis, Ecce De-  
 cretum!  
 ubi hoc significatu occurrit. Phil. 1. v.17. κέιμα εἰς  
 ἀπολογίαν Ευαγγελίας. Positus sum, i. e. ordinatus  
 voluntate atq; decreto Dei ad defensionem Evangelii.  
 i. Thess. 3. 3. κέιμεθα positi sumus. i. e. ordinati ad  
 preferendas afflictiones. De voculis ὄπλεων, προοπί-  
 λεων, έσλην dubium esse non potest, quin ad Dei  
 decretum aeternamq; constitutionem pertineant.

I

b) De-

Decretum  
de actioni-  
bus malis.

b) *Decretum de actionibus malis. C*HRISTUS *est ordi-*  
*natus & positus in lapsu multorum. Quid hoc? nisi ut*  
*in C*HRISTUM peccarent & peccando caderent.  
*C*HRISTUS à *Juda proditur, atrocissimamque injuriam,*  
*contumeliam, p*œnam subit ualor to wopir uevo: atque  
*scelerum horum autores faciunt, quod manus & voluntas*  
*Dei fieri præordinavit. Nonne satis aperte actiones*  
*malas à Deo prædefinitas esse in his locis S. Scri-*  
d) Luc. 21,  
v. 12.  
e) Lombard  
l. i. Sent.  
dist. 48. c.  
2. & 3. Ob-  
servâ Po-  
Iano syn-  
tagm. The-  
ol. 1. 4. c. 6.  
pag. 241.  
*ptura ostendit? Durum hoc Illustri Grotio d) vi-*  
*detur, & aliis e) ante eum visum est. Hinc eventum*  
*duntaxat, non actiones malas à Deo prædefinitas esse*  
*judicant urgentes vocem yevé & a). Vellem equi-*  
*dem hanc sententiam confirmari posse; sed fateor*  
*meam imbecillitatem, me, quo id pacto fieri pos-*  
*fit, non capere adhuc potuisse. Nam qualis even-*  
*tus hic definitur? Certus utique. Nam alias non esset*  
*definitus wopir uevo. Incertum enim quos habet*  
*terminos? Deinde nisi certus esset, in V. T. præ-*  
*nunciari certo non potuisset, quod tamen factum*  
*est. Jam verò qui eventum incertum tantum modo con-*  
*jicit, eum futurum conjiciat, necesse est, per causas*  
*& actiones. Quae ergo mens concipit, certum eventum*  
*definiri determinari que posse, nisi & actiones & perso-*  
*næ sint definitæ, à quibus eventus sit producen-*  
*dus? Sed mentis nostræ judicium hoc loco abne-*  
*gandum. Age abnego. Scripturæ tamen fidem*  
*adhibere me oportet: Illa autem testatur, actio-*  
*nes per quas, & personas quarum opera eventus*  
*est productus, quoque esse definitas. Quomodo?*  
*Omnis hujus eventus circumstantias ante de-*  
*scri-*

scripsit & præsignificavit. v. g. Discipulorum fugam Zach. 13. 7. Colaphos & sputum. Esa: 50. 6. ὁ πίστυος.  
 Mich: 4. 14. flagellationem Esa: 53. 5. Lateris transfoſſi  
 vulnus. Zach. 12. 10. Mortis genus Ps: 22. 17. 18. Job: 3  
 14 mortis locum. Luc: 9. 31 Amarulentam potionem Ps:  
 69. 22 sorte divisas uestes Ps: 22. 19 Commune cum la-  
 tronibus supplicium & in cruce fodalitum. Esa: 53. 12.  
 Hæc & plures præsignificatae sunt actiones. Sed nec  
 personæ tacentur. Preditor designatur Ps: 41, v. 10.  
 Job: 6, v. 70. 71. Necis autores. Ps: 2, v. 1. 2. 3. Preti-  
 um necis Zach: 11, v. 12. 13. Quid deest, nisi nomi-  
 num appellatio? Quod desiderari nequit, quia  
 prophetiam ab historia differre, rationi conveni-  
 ens est. Hæc dum mecum expendo, malas actiones  
 non minus, quam eventum per malas actiones  
 producendum, à Deo esse definitas, credere jube-  
 or. Et crederet, opinor, quisquis, quod scriptura af-  
 firmat, affirmare non verebitur. Veritas nimium  
 evidens est.

§ 9. Sed quali, inquis decreto? Τὰ τὰ Θεῷ  
 γόδεις ὄδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τὰ Θεῷ. I. Cor: 2. 11.  
 Τίς ἔγνω νοῦν κυρίου; Η̄ τίς σύμβλασθαι ἀντὶ<sup>τ</sup>  
 ἐγένετο; Ecclesia quidem, non autem scripturas.  
 Dei decreta distinguit. Quisquis tamen antiquis  
 Ecclesiæ placitis petulanter contradicere refor-  
 midat, usitatam decretorum distinctionem, in ef-  
 fectiva & permisiva non repudiabit, quorum illa-  
 actiones bonas, hæc malas respiciunt. Atque ita  
 huc tandem devenitur, actiones malas *decreto sal-*  
*tem permisivo αὐτερηγήτων* esse definitas. Nec ali-  
 ud,

ud, quam permisivum decretum in rebus malis ii inter  
reformatos volunt, qui decretum Dei omnium  
rerum caussam statuunt. Audiamus iterum Cocce-  
jum insignem pietate atque eruditione virum sese ita de-  
clarantem. Sane, inquit, si qui sunt, qui dicant, pecca-  
tum Deo impellente fieri, ut ita malitia & peccatum sit opus  
Dei; aut ex præscientia peccati imponi necessitatem, quæ  
tollat libertatem, eamque decretis pure effectivis subniti,  
hā Grotio. contra illas valeant, quæ adnotata nuper f. ad Luc: 22,  
v. 22. Nobis, qui ἐνέπνεαν efficientiam Dei in bonis  
proprie, non in malis censemus, nisi quatenus necesse  
est, quicquid est, eo quod est, à Deo omnis, quod est, effecto-  
re esse. mundi directore dirigi: Qui quidem ex præscien-  
tia sequi putamus τὸ πάντως χρῆν εἶναι, omnino oport-  
tere fieri, vel ὅτι ἔσται, quod futurum sit, & ὅτι οὐκ  
ἔνδεχεται τὸ Θεὸν φεύσαθαι, quod non contin-  
gat DEum mentiri, non autem tollimus τὸ ἔνδεχεθαι  
ἄλλως γενέσθαι, quod contingens sit. etiam aliter  
fieri, quippe sua natura liberum: Qui denique non  
dicimus, omnem præscientiam mali scilicet, decretis pure  
effectivis nisi, sed permisivis, quæ tamen, ipsis Ponti-  
ficiis concedentibus, non sint mere negativa, nec omne po-  
sitivum excludant, & ex quibus eventus certe sequatur;  
nobis, inquam, illa non possunt opponi. Hactenus ergo  
scriptura duce usi sumus, & qui eam sequi non  
timunt, non difficulter etiam concedent, res con-  
tingentes etiam malas, quæ à Deo præsciuntur, à Deo quo-  
que esse decretas.

§ 10. Quid ergo superest disquirendum? Id quæ-  
ritur, quomodo divini Intelletus lumen cum decreto sit  
compo-

componendum. *Utrum Deus actiones liberas, in primis malas decreverit, quia per intellectus lumen futuras prævidit; an præviderit, esse futuras, quia ita decrevit.* h.e. *utrum præscientia præcedat decretum, an decretum præscientiam.* Hæc caufsa est, quæ Patrum nostrorum memoria magna utrinq; animorum contentione agitata est, neque nunc silentio sopita jacet. Sunt enim, qui sentiunt, *Decretum præscientiæ esse fundamen-*  
*tum.* Alii hanc sententiam absurdam existimantes in contrarium feruntur. Cum hic dissensus inter caufas, quæ Protestantium Ecclesiarum schisma fovent, non levissima à quibusdem existimetur, utriusque sententiæ rationes exponam, ut æquis judicibus, quid de hoc negotio sentiendum sit, appareat.

§ II. Primò ergo eorum examinemus sententiam, qui decretum Dei præscientiæ ponunt fundamen-tum, Deumque ideo futura contingentia præscire statuunt, quia, ut ea suo tempore ita evenirent, decrevit atq; præordinavit. Non exiguum Reformato-rum partem ita judicare notum est; notum eti-am est, satis invidiose ab aliis hanc opinionem es-se exagitatam, multisque criminationibus onera-tam. Consideremus igitur, quibus illi rationibus adducti ita credant, & quid in hac sententia sit, quod adeo improbum atque à pietate esse alie-num videatur.

§ 12. Non ingenii quadam pervicacia atque improbo animo, sed idoneis argumentis hanc sententiam defendunt.

Reformati,  
qui decre-  
tum præsci-  
entiæ pre-  
ponunt, id

faciunt ad-  
dūcti.  
Auctorita-  
te scripture

a) Scripturæ Sacræ existimant se nisi auctori-  
tate, quæ decretum præscientiæ præponit, atque  
ita exilio hanc veluti emanare docet. Locus est

A&t; 2, v. 23; Ubi ὡρισμένη ἐσλην priore loco poni-  
tur, & πρέγγωστις posterior. Si τερέγγωστις nu-  
dam præscientiam alicubi significat in N. Test:  
libris, hoc certe loco eam significationem admit-  
tit, quia à consilio distinguitur. Inter consilium  
autem atque præscientiam Petrus hunc ordinem  
videtur concepisse, ut præscientia sequatur decretum.  
Syrus interpres, quasi hunc ordinem reformida-  
ret, præscientiam priore loco ponit, scribitq; Chr-  
istum separatum יְהוָה וְצָבָנָה רַאֲלֹהָה  
præscientia & voluntate DEI. Græci tamen Codi-  
ces hanc transpositionem ignorant,

Ductu 12-  
monis.

b) Ratio hunc ordinem etiam suadet, quæ ali-  
um modum, quo DEus futura contingentia certo  
atque infallibiliter præsciat, non invenit. Nam  
ita argumentatur. Quicquid à Deo certo præno-  
scitur, certo futurum est: quod certo futurum  
est, id jam determinatum esse oportet. Quod  
enim determinatum non est, certum non est. Nam  
perse liberum, indifferensque est, atque adeo po-  
test non fieri, certum ergo non est. Incertum au-  
tem certo sciri atque prædicti nequit. Nam cuius  
rei ordo est, etiam prædictio est. g.) Cum autem verissi-  
mum sit, DEum futura contingentia certo præno-  
se atque prædictisse; hinc colligendum ea deter-  
minata jam esse aut voluntate Dei, aut alia fatali  
lege extra Deum. Extra æternum autem DEum  
cum

g.) Senec.  
Nat. quaest.  
l. 2. c. 32.

cum aliam fatalem legem Christianismus repudiet, sequitur voluntatis divinae decreto futura contingentia esse determinata. Quæ ita inter se firmiter cohærere judicant Sociniani, ut propterea negent. Deum certo atque infallibiliter futura contingentia praescire, ne decretum illud Dei admittere cogartur; sed indifferentem hominis libertatem tueri possint.

c) Antiquissimi mortales ita senserunt, *dum fato omnia subjecerunt*. Nam longe ante Zenonis apertam Stoam à fato inevitabili omnia pendere crediderunt. Apud Homerum non pauca ejus rei extant exempla. Ipse Homerus de Græcorum inter se disfidiis atque ex dissidiis nata clade fert iudicium. Διὸς δὲ ἐτελέσθη Εργάτης h) Hector uxori Andromachæ periculum subire dissuadenti ita responderet. i)

Οὐ γὰρ τις μὲν ὑπὲρ αἴσταν ἀνὴρ Κιδι προϊάψει,  
Μοίρανδ' οὐτινά Φῆμι πεφυγμένον ἔμμεναι

ἀνδρῶν

Οὐ κανόν, γδὲ μὲν ἐφθαλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα

γένηται

Jupiter cum Iunoni iratori Græcorum cladem prænunciat, caussam interserit: *ως γὰρ θέος Φατόν* ἐστι. k) Eumeus Telemacho Patris sub ignoto hospite latentis errores commemorans, addit: l)

*ως γέροι επένιλωσεν τάχεις δάζουν.*

Ita Homerus omnia adfatum retulit, ut observante Macrobio l. s. Saturn. c. 16, Fortunam nescire maluerit

testimonia  
vetustatis.

h) l. 1. Iliad.  
v. 5.

i) l. 6. Iliad.  
non procul  
a fine.

k) l. 8. v. 476  
Iliad.  
l) l. 16. O-  
dyss. v. 64-

luerit. adeo ut hoc vocabulum *τύχη* in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Heraclitus ante Zenonem

m) Laert, fatum docuit. m) Extra Græciam hæc de fato sententia  
• 7. § 149. quoque recepta fuit. Tuscic ad DEm omnia retulerunt,

atq; in ea fuerunt opinione fulmina non quia facta sunt,

n) Senec. significare; sed, quia significatura sunt, fieri. n) Livius  
Nat. Quæst. l. 2. c. 31. de Servio: nec rupit fati necessitatem humanis consi-  
o) l. 1. c. 42. liis. o) Aliquis ex Cannensis cladis reliquiis apud

Marcellum inter alia hæc profert: Si non ira DEm,  
nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo se-  
ritur, sed nostra culpa periimus ad Cannas. &c. p)  
p) Liv. l. 25. Apud Appianum Magi Seleucum Nicanorem, de fa-  
to condendæ novæ urbis sollicitum ita affantur.

*τὴν πεπρωμένην, ὡς Σασιλεῦ, μοῖρα χείρονα τε  
καὶ ιρεῖσονα δύνι ἔσι, γέτε αὐδρὸς, γέτε πόλεως  
ἐναλλάξα.*

q) de Bell. ve bonam, nec homo potest mutare nec civitas. q) Eludant  
Syr. p. 125. licet, Curtius scribit, quibus forte ac temere humana

negotia volvi agique persuasum est. Evidem aeterna con-  
stitutione crediderim, nexus caussarum latentium, & mul-  
to ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili-

r) l. 5. c. 12. lege percurrere. r) Inspice & notas Freinsheimii ad  
n. 10. hunc locum & imprimis Lipsii Polit. l. 1. c. 4. Ex his

satis patet, Fatum rerum omnium esse caussam, Priscos  
mortales existimasse, suamque opinionem ad ne-  
potes suos seros propagasse. Quid autem per Fa-  
tum intellexerunt? Stoicorum secta quidem &  
nonnulli alii fatum à Deo distinxerunt, sed non ita ve-  
teres judicarunt. Macrobius in supra laudato lo-  
co statuit. Homerum per Moīrav ipsum DEm in-  
telle-

intellexisse. Quod etiam Spondanus in suis *ad Homo-*  
*rum notis diligenter inculcat. Scaliger etiam affe-*  
*rit, Deum tum Parcam, tum Fatum esse credi apud Phi-*  
*losophum in extremo libri de mundo. s) Quanquam er-*  
*goaliqui à Majoribus in eo discesserunt, quod fa-*  
*tum à Deo divisorint, Deumque fato subjecerint, inter* <sup>s) Ad Car-</sup>  
<sup>365. n. 4.</sup>  
 *eos tamen convenit. æternam quandam esse con-*  
*stitutionem atque legem immobilem, cui univer-*  
*sus mundus atque ipsæ hominum actiones pare-*  
*ant. Quæ sententia cum à vetustissimis Scriptori-*  
*bus jam enarretur, ab iis tradita videri potest, qui quid*  
*de Deo sit sentiendum, non ignorarunt: Cum autem*  
*à viris sapientibus atque doctis sit recepta atque*  
*defensa, ejus probabilitatem multis indicis atq;*  
*argumentis iis, credas, fuisse demonstratam; ac*  
*proinde hanc sententiam à ratione non adeo esse alienam.*  
*Constat ergo extra ecclesiam hanc de fato opinionem*  
*valde fuisse usitatam. Sed cum apud gentiles etiam*  
*vetusti inveniantur errores, inde parum præsidii*  
*Christiano homini forte expectandum est. Con-*  
*sumamus ergo Ecclesiam ipsam.*

d) In veteri *Judaica* certe hanc sententiam etiam  
 deprehendimus. De *Essenis* res extra controversi- <sup>Exempla</sup>  
 am est. Ita de illis *Josephus*: Τὸ δὲ Εστηνῶν γέ- <sup>ecclæsiæ ju-</sup>  
 ναὶ πάντων εἰμαρμένην κυρίαν ἀποφαίνεται. <sup>daicæ.</sup>  
 καὶ μηδὲν, ὃ μὴ καὶ ἐνείνης φῆσθαι αὐτῷ ποιεῖ  
 ἀπαντᾷ: Atque alibi Εστηνοὶ δὲ ἐπὶ μὲν Θεῷ <sup>t] Antiq. I.</sup>  
 καταλιπεῖν Φιλεῖ τὰ πάντα ὁ λόγος. u) Vides <sup>I. 3. c. 9. pag.</sup>  
 Josephum aperte *Essenis* tribuere εἰμαρμένην <sup>n. 442. E.</sup>  
<sup>u) Antiq. I.</sup> <sup>18. c. 2. pag.</sup> <sup>617. G.</sup>

fatum. Quid autem hoc nomine intellexerunt? Procul dubio, cum Scripturæ vox non sit, quod Græcorum Philosophi: nempe. E'si δὲ εἰμαρμένη ἀτία τῶν ὅντων ἐιρομένη ή λόγῳ, παθ' ὅν

x) Laërt. l. 6 nōs μῷ διεξάγεται x) Gellius Chrysippi definitionem ita reddit.

Fatum est sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum & catena volvens semet ipsa se& implicans per aternos consequentiæ ordinates ex quibus apta connexaque est. z) Seneca

fatum ita exponit. Esse necessitatem rerum omnium

a) Nat. um actionumque, quam nulla vis rumpat. a) Ejusmodi Fatum Esseni crediderunt, sed non diversum quid à

c. 36. Dei voluntate esse atque decreto existimarent; Josephus testis & interpres est. Nam quod εἰμαρμένη pri-

ore loco appellat. id exponit per τὸ καταλιπέντα πάντα ἐπὶ Θεῷ. Ergo fatum & DEum idem esse senserunt. Si dubitas, an ejusmodi rerum actionumque omnium necessitatem, quam nulla vis

rumpat, Esseni per Fatum intellexerint. considera, quæ de Pharisaïs idem Josephus afferit, quorum opinio cum diversa sit ab Essenorum, inde liquido constat, Essenos in voluntate & potestate hominis nihil reliquisse. Quæ ergo Pharisaorum in hoc capite fuit sententia? Josephus eam ita enarrat. Οἱ μὲν

δύν Φαρισαῖοι, Τινὲς η̄ & πάντα τῆς εἰμαρμένης εἴναι λέγοσιν ἔχον. Τινὲς δὲ ἐφ' εἰσιτοῖς υπ-

b) Antiq. l. 12. c. 9. pag. 442. αἰχνευ, συμβαίνει τε, η̄ & γίνεσθαι. b) Latinus interpres: Pharisaï quædam, at non omnia,

fato tribuunt, quædam vero in sua potestate esse ajunt.

ajunt, ut vel fiant vel non fiant. Alio loco eorum sententiam ita commemorat. Πράσσεθαί είμαρμένη τὰ πάντα αἰξιώλεις, γοδὲ τὰ ἀνθρωπεις τὸ έβλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὄρμης αἴφαρονται, δοκῆσαν τῷ Θεῷ πρᾶσιν γενέσθαι, καὶ τῷ ἔπεινης έβλευτηρίᾳ καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ αἱρέτης ή πανίας.

c) Interpres ita vertit: Fato, quacunque geruntur, tri-<sup>c) Antiq. I.</sup>  
buunt, nec tamen homini voluntatis assensum adimunt,  
hoc temperamento DEumuti dicentes, ut cum omnia si-<sup>18. c. 2.</sup>  
ant ex ipius consilio, in homine tamen sit voluntas acce-  
dendi ad virtutem aut vitium. 1. 2. de Bell. Jud. ita,  
eandem sententiam refert. είμαρμένητε καὶ θεῷ  
προσάπλεσιν ἀπαντά, καὶ τὸ μὲν πράττειν δί-  
καια καὶ μη, πατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώ-  
ποις κείσθαι, Σογδεῖν δὲ εἰς ἔναστον τὴν είμαρ-  
μένην. Hæc Pharisæorum sententia ut mollior  
eā, quam Esseni tuebantur, proponitur; verum  
si accurate verba Josephi expendantur atque in-  
ter se conferantur, nihil in hoc negotio statuerunt  
Pharisei, quod non etiam reformatorum illi, qui  
absoluto decreto favent, doceant.

Si Josephus Pharisæorum opinionem recte intel-  
lexit atque fideliter exposuit, (utrumque autem  
credibile est.) constat sane ex iis, quæ ex illo de-  
promta sunt. Pharisæos ab illa sententia, quæ decre-  
tum omnium vult esse caussam, proprius abesse, quam  
primo aspectu videntur. Verbis mollioribus idem  
fere,

fere docebant, quod *Esseni* aperte profitebantur.  
Examinemus singula.

a) Primo fatum crediderunt; qua in re pa-  
Phariseo - lam cum *Essenis* conveniunt.

gram de Fa-  
to senten-  
tia exami-  
nata.      b) Et fatum quidem in rebus actionibusque hu-  
manis, id quod liquido ex Josepho constat. Hoc tem-  
pore, scribit, tres *Judaorum* erant sedē, αἱ περὶ ἀν-  
θρωπίων πραγμάτων διαφόρως υπελάμβα-  
νον: Quae de rebus humanis inter se dissentiebant. Hæc  
verba proxime præcedunt illum locum, qui ex l.  
13. c. 9. Antiq. laudatus est. Inspice etiam in reli-  
quis locis oppositam *Sadducæorum* sententiam;  
de rebus humanis agi, intelliges.

c) Res humanas autem modo omnes, modo ea-  
rum quasdam fato attribuerunt. Verba sunt clara.  
Τινὰ καὶ οὐ πάντα τῆς εἰμαρμένης εἴναι λέ-  
γεστο ἔχον. Quædam, non omnia fari esse opus, ajunt:  
quædam autem esse in nostra potestate, ut vel fiant, vel non  
fiant. Hoc pacto ab *Essenis* discrepant, qui omnia fa-  
to simpliciter adscribent: Et *Sadducæis* contradic-  
cunt, qui fatum plane tollebant, illudque nihil esse affir-  
mabant; nec quicquam ex fato, sed nostro consilio omnia  
sortiri exitum judicabant. Ibid. 1. 13. c. 9. Rursum omnia  
fato *Phariseos* subjecisse, hæc verba indicant:  
πράστερα τῇ εἰμαρμένῃ πάντᾳ ἀξιώντες.  
1. 18. c. 2. Ant. Εἰμαρμένη τε καὶ Θεῶ προσάπ-  
ται πάντᾳ. 1. 2. B. I. c. 7. pag. 788. m. E.

d) Quomodo autem hæc inter se concilianda  
sunt,

sunt, nunc in quasdam, nunc in omnes res humanas fatum imperium tenere? Josephus ipse est interpres. Fatum omnibus rebus actionibusque humanis dominatur  
 1) Primo ratione conjunctionis cuiusdam atque copulationis. Id verbum προσάπλει, quo Josephus utitur, significat. Omnia autem Fato alligarunt, h. e. docuerunt, *alligata esse*. Quale illud: συνένδεσθεν ἡ γραφή. a) Atque hoc poëta.

a] Gal. 3:12.

Tum Phæthontiadas musco circumdat amara  
 Corticis, atque solo proceras erigit alnos. b)

b] Virgil.  
Eclog. 6.  
v. 62.

Nescio autem, annon τὸ προσάπλειν aliquo modo exprimat Stoicorum συμπλοκήν. Hi enim statuebunt, Fatum esse συμπλοκὴν αἵτινα τε λαγμένην, οὐκ ἡ συμπλοκὴ καὶ τὸ παρ ἥμᾶς c]

c) Plutarch.  
l. 2. de Pla-  
cit. Phil.  
c. 27.

2) Deinde ratione efficientie. Nam omnibus actionibus etiam malis efficienter adest. Dubitas? Experi-  
 de verba: Πάντα πράστεθαι τῇ ἐμαρμένῃ.

Omnia fato fieri. Εἰμαρμένη Σονθεῖν εἰς ἔναστον. Fatum subvenire atque concurrere ad singula. Qualia?

Num tantum ad bonas actiones? Πρὸς τὸ πράττειν δίκαια καὶ μή. Ad Faciendum, quod est justum, quodque ei est contrarium. Idem etiam confirmatur ex opposita Sadduceorum sententia. quam, ut à Phariseorum distinctam. Josephus ita commemorat. Fatum παντάπασιν αἰνεῖστι, καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τῷ δρόντι τικαὶ οὐκ ἐΦορῶν τιθεντα plane tol-  
 lunt, atque Deum extra omnem mali patrationem inspe-  
 ctionemque constituant. d) Pharisei ergo contrarium a) 2. B. J.  
 sentiebant. Ab illa etiam efficientia fati est in ho- c. 7.

minibus *instinctus impetusque ad sequendum fatum:*  
 Josephus hunc exprimit his verbis Εγλόμενον  
 $\tau\gamma\varsigma \epsilon\pi' \alpha\upsilon\eta\varsigma$  (έμαρμένης) ὄρμῆς. Ορμή, se-  
e]Euch.c.1. cundum Epictetum e) inter ea est, quae in nostra  
 sunt potestate. Pharisei affirmabant, animi mo-  
 tum atque impetum quandam esse ἐπὶ τῆς οὐμαρμένης.  
 ad fatum. Casus secundus cum ἐπὶ positus est pro quarto,  
 ut alibi. Didicisti, quo sensu Pharisei fatum omnibus  
 humanis rebus actionibusque dominari statuant. Accipe  
 nunc, qua ratione non omnibus, sed quibusdam tantum  
 imperasse crediderint.

Quasdam etiam actiones in hominis positas esse pote-  
 state, affirmarunt. Quomodo? Ita, ut, licet fatum  
 in nobis operetur, voluntas tamen nobis non sit ademta.  
 Est impetus ad fatum; sed voluntarius. Οὐδὲ τὸ άν-  
 θρωπείς τὸ Εγλόμενον τῆς ὄρμῆς αὐτοφαρσάνται.  
 Quid ergo inde nascitur? Κέασις. Ut accedatur ad  
 virtutes vel vitiā τῶν οὐμαρμένης Εγλευτηρίων καὶ  
 τῶν αὐθρώτων τῷ θελήσαντι. Dubito, an  
 quid aliud Pharisei voluerint, quam quod Chrysip-  
h]Gell.1. 6, p[er] dicebat; Fato omnia fieri, atq[ue] aliquid esse in nobis f)  
cap. 2. Paucis omnia complectar. Juste vel injuste agere ma-  
 xima ex parte in hominis situm est potestate. Nam agunt  
 libere, agunt sine coactione. Interim à fati vi non  
 sunt soluti. Alligati sunt fato, fatum concurrit ad agen-  
 dum. Atque dum homo voluntarie agit, habet vo-  
 luntarium impetum sequendi fatum. Hæc omnia Josephus.  
 Iudica, quisquis voles; annon inde sequa-  
 tur, fatum suum nancisci propositum? Me bona fide hæc  
 omnia

omnia disposuisse, opinor. Ut autem hæc à me, sunt disposita, ostendunt, *Phariseos ab Eissenis in hac opinione parum distare; atque hos in Reformatis, qui decretum præscientie statuunt fundamentum, mollius fere loqui, quam Pharisei hic loquuntur.* Certe nihil dicunt, quod Pharisei non docuerunt.

Addo Judæorum prudentissimos tunc temporis *absolutam Dei atq; efficacem in rebus omnibus voluntatem statuisse.* Colligas id licet ex Iosephi ipsi-  
us judicio. Is de cauſa, cur Alexander atque Ari-  
stobulus Herodis Patris iuſſu perierint, quærens,  
novissime proponit fortunam, cuius potentia nullis  
humanis rationibus refutere licet, ne sapientissimis qui-  
dem. O θεν καὶ τειχόμεθα ταῖς αὐτρωτίνας  
τοράξεις νῦν ἐνείνης τορναθωσιαθαյ τῆς  
το γενέθλα τούτως αὐτάγκης, καὶ παλαιευ  
αὐτὴν ειμαρμένην, ως ἔδενος ὄντος, οὐ μη δι  
αὐτὴν γίγνεται Interpres Latinus ita reddit. Un-  
de persuasum habemus, eam omnes hominum actiones præ-  
fanxisse, ut necessario consequantur. Eamq; vim fatum  
vocamus, quod nihil sit, quod illa non efficiat. g) Aperte  
atq; distinet Josephus hic docet, quid per fatum  
Judæi intellexerint: Deinde latissimum fati im-  
perium. Nihil esse quod non fato fiat. Tum Fato res  
humanas ante esse sanctas atque determinatas.  
Tandem fatum afferre rebus necessitatem. Hæc sen-  
tentia de fato à maxima Judæorum parte tunc  
temporis recepta fuit: cui cum simillima & ma-  
xime gemina S. Paulus antea Phariseorum placi-  
tis bene institutus. in Epistola ad Rom. c. 9. scri-  
bat,

Iosephi ju-  
dicium.

gl. 16. Ant.  
c. ult. pag.  
m. 580.

bat, eam confirmasse potest videri. Sed de Apostolo Paulo judicium non fero; id existimo vix dubitari posse, quin præscientiam decreto postposuerint, qui ejusmodi fatum admiserunt. Tantum de Ecclesia Judaica.

e) Perlustremus nunc Ecclesiam Christianam: Consensu multorum, An nihil hic pro Decreto subsidii invenitur? Parci qui docuerunt & docent in Ecclesia Christiana. inter primos Ecclesiæ Patres de hoc mysterio est disputatum. Sive reverentius cognitio Divinæ profundum habuerint, quam ut illud suis ratiociniis tentarent, sive laborarint magis, ut Christi Evangelium inter gentes propagarent, Christianæque charitatis vinculum confirmarent, quam subtilibus disputationibus populi animos dividerent, & sibi quisque gloriam ex multitudo ne suas sequente partes quererent. Deinde qui inter eos hanc causam tetigerunt, si à decreto destinū. p. 44 terminante abhorrent, mirum non est, quia primo Athenagorā p. 61. Tati. rum Patrum plerique ex Platonis Schola prodierunt, atq; inter cætera Magistri placita voluntatis Irenæum. libertatem acrius asseruerunt. h) Hinc Theologi p. 85. Cle. mētem. 37. Observant, ante Pelagium Patres, ut Pelagium, in primis quanquam non eadem mente, locutos esse. i) Augustinū p. 177 & finum intactum relinquam, quia in diversas à Originem Theologis trahitur partes, quanquam cum aliis, p. 147. i) Vide Baxt. qui Augustini sententiam non amplectuntur, Rede Sabbati verendissimus Gilbertus Burnetus judicet, Augustino Sancto. num æque, ac illos, qui Calvinum assertantur, fin. in tuere absolutum decretum, sine ullo ad liberum arbitrium notis. k) Quæ certa sunt, ejusq; electionem habito respectu.

tan-

tantum commemorabo. In dubium autem est, stat derr-  
longe ante Calvinum hanc sententiam, decretum deſſin. &  
præſcientiæ eſſe fundamentum, viguisse, & in Pontifi- Grat. ex EX-  
cia Ecclesiæ adhuc vigere. Numerofæ ſunt fami- pos. XXXIX.  
liæ, atq; in familiis illuſtria nomina, à quibus hæc ARTIC.  
opinio defenditur. Quod iu non ignorant, qui Cal-  
vinianum fatum exagitant. 1) Prædeterminantium <sup>1) Vid. Scher-</sup>  
nomen Theologis adeo ignotum non eſt. Præde- zerum in-  
terminantes autem à Calvini opinione non diſſer- ter alios di-  
Prædeterminantium adverſarii fatentur. Leonhardus sput, in loc.  
Matth. XI.  
Lessius traſt. de grat. Effic. &c. negat, ſe unquam cogi- v. 21. § 66.  
tatione aſſequi potuiſſe, quomodo gratia prædeterminans & 7.  
à Calvinis mo re ipſa diſſerret. m)

f) Tandem multa loca S. Scripturæ reperiun-  
tur, quæ ſi conſequentiæ eorum urgentur, decre-  
tum prædeterminans ſtabilire videntur. Sed ea præ-  
tereo, cum vulgo nota ſint.

§ 13. Quid ex iis, quæ in medium allata ſunt, jam Conclusio.  
concludendum? Primo, mala fraude agere, qui  
ſententiam hanc, quæ decretum præſcientiæ ſtatuit  
fundamentum, FATUM CALVINIANUM vocant.  
Fati vox ambigua eſt. Præter ordinem enim à Deo  
conſtitutum, etiam Stoicis neceſſitatem ſignificat,  
cui ipſe Deus ſubjacet. Tale Fatum autem Reforma-  
torum nemo unquam credidit. Si autem per Fa-  
tum Decretum determinans intelligis, cur Calvinum  
appellas, cum à Calvino non trahat originem, nec  
à ſolo Calvino ſit receptum atque defenſum, neque  
ab omnibus Calvini aſſectoribus propugnetur? Ut  
Calvini nomen imperitæ multitudini eò magis  
invi-

invisum redderetur. *Calvinianum Fatum in Scenam producendum atque ab actoribus vexandum fuit.*  
*Tantus amor veri est!* Tantum abest, ut decretum prædeterminans Fatum Calvinianum appellandum sit, ut potius *vetus & vulgaris quedam gentium, Iudaorum, Christianorumque dicenda sit opinio.* Deinde dubitandum etiam esse, an sententia illa, quæ decretum præscientiæ vult esse caussam, sit adeo absurdum, profana atque irreligiosa, quemadmodum à non-nullis accusatur. Certe qui ita de hac caussa judicant, suo non usi judicio, sed aut partium abrepti studio, aut vecordi inflammati odio, aut ignorantiae decepti errore videntur judicare. Quibus pectus charitate non vacuum contigit, melius sentire debent. Nam quæ opinio probabilibus rationibus nititur, non est absurdus; quæ Ecclesiæ gloriatur consensu, non profana; quæ Dei gloriam illustrare unice querit, non irreligiosa. Præclarum æquitatis suæ ac moderationis documentum Reverendiss. Burnetus dedit: qui quanquam ab hac sententia sit alienus, tamen tam vecors non est, ut, quæ sibi displicant, in pejorem partem rapiat. Caussam suis rationibus ponderat, studium nullum prodit; Atque de adversa sibi sententia ita judicat, tanquam adversa non esset. n) Utinam omnes, qui liberalibus studiis sunt imbuti, mansuetum, quem studia poscunt, animum ostenderent! Utinam, qui in Theologorum numerum sunt cooptati, summi sui Magistri exemplum & illustre ejus sequentes præceptum, charitati aliquanto plus, quam gloriozo Zelo con-

■] in tra-  
statu supra  
laudato §  
60. & seqq.

concederent, divisæ partes opinione fortasse ci-  
tius coalescerent.

§ 14. Rationes quasdam vidimus, quibus opiniō de Decreto determinante defenditūr. Dispiciā-  
mus nunc etiam difficultates, quibus premitur. Difficulta-  
tes, quibus  
opinio hęc  
laborat.

Absurdæ quædam consequentiæ inde fluere di-  
cuntur. Hęc in primis urgentur: *Deum peccatorum*  
*constitui auctorem: Homini auferrī libertatem: Virtu-*  
*tum vitiorumque deleri nomen: ac proinde præmiorum*  
*pénarumq; etiam tolli caussam.* Quæ cum auditu sint  
impia, contendit adversa pars impiam quoque ac  
Christiano homine indignam esse opinionem, un-  
de hęc absurdissimæ consequentiæ manant.

§ 15. Crimina profecto gravissima, & quorum, Purgatio:  
si rationis sequeris judicium, *opinio* rea est. Sed ni-  
hilne, quo hęc crimina defensores hujus opinio-  
nis purgant, habent? Habent utique.

a) *Has accusationes ajunt jam valde veteres esse, atq;* i. Accusa-  
ab iis repertas & exaggeratas, qui vel sceleribus tiones sunt  
suis nomen quæsierunt, vel hominis voluntatem  
actionesque Deo subjici non tulerunt. Agamem-  
non suum furem, quo Achillem à Græcorum  
exercitu abalienarat, ita excusat.

- - - Εγώ δ' εἰν αἴτιος ἐμοί.  
Αλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἡρῷοι τις Εὐρυπίδης a) Hom. Illi-  
Adde Spondani notis, ubi & hoc Euripidis. ad. l. 19. v.  
86.

- - - Αὐτῶποισι γάρ,  
Θεῶν διδόνων, εἰνὸς ἐξαμαρτάνειν.  
Apud Homerum de hac mortalium improbitate  
Deus ipse querens introducitur.

b) Odyss. l.  
i. v. 32.  
c] l. 6.c.2.

<sup>Ω πόποι, διον δή νυ Θεός Ερότοι αἰτιώντας</sup>  
<sup>Ἐξ ἡμέων γάρ Φασι ικαν' ἔμμεναι. b)</sup>

Apud Gellium hæc legis. c) Aliarum autem opinio-  
num disciplinarumq; autores huic (Stoicorum) definitio-  
ni ita obrepunt. Si Chrysippus, inquiunt, putat fati omnia  
moveri & regi, nec declinari transcendique posse agmina  
fati & volumina: Peccata quoque hominum & delicta non  
sustentanda, neque condicenda sunt ipsis voluntatibusque  
eorum; sed necessitatibus cuidam & instantiæ, quæ oritur ex  
fato; omnium quæ sit rerum domina & arbitra; per quam  
necessitatem fieri, quicquid futurum est: propterea nocenti-  
um penas legibus inique constitutas, si homines ad malefi-  
cia non sponte veniunt, sed fati trahuntur. Contra Fati  
defensores hoc affertur apud Senecam. Quid ergo ex-  
piationes procuracionesque, quo pertinent, si immutabilia  
sunt fata? d) Manifestum ergo eadem, quæ nunc  
Quæst. 1.2.  
c. 35.

iis, qui decretum præscientiæ caussam statuunt obji-  
ciuntur, olim objecta esse fati Patronis.

2. non ad-  
missæ con-  
sequentiæ  
illæ absur-  
dæ à geni-  
libus vel  
judicis.

b) Sed & hoc manifestum, neminem eorum,  
qui fatum asseruerunt, has absurdas consequenti-  
as defendisse vel admisisse. Æque, ac cæteri credi-  
derunt illud Homeri οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ ΣΦῆσιν ἀ-  
τασταλίησιν ὑπέρ μόρον ἀλγεῖ ἔχεσιν, ut  
Chrysippus DEum culpa liberet, hominemque  
damnet. ibid. apud Gellium lege. Negat oportere  
ferri, audiri que homines aut nequam, aut ignavos, &  
nocentes & audaces: qui quum in culpa & maleficio revicti  
sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tanquam in aliquod  
fani asylium, & quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritatis,  
sed fati esse attribuenda dicunt. Seneca etiam vota &  
pre-

preces & studia propter fatum ex rebus humanis tolli negat, loco supra laudato. c. 37. 38. Neque verbis tantum absurdilla illa, quæ ex fato sequi objiciebantur, rejecerunt; sed & vita moribusque ostenderunt, se cæteris mortalibus nequiores aut negligentiores non esse. Num Heraclitus, Zeno, Chrysippus, Posidonius, atq; quotquot Fati necessitatem afferuerunt, virtute & Numinis cultu reliquis fuerunt inferiores? Ex Epicuri schola prodire poterat. *Par-*  
*cus Deorum cultor & infrequens*, non tam facile ex Stoa. *Esseni*, Fati assertores rigidi, moribus inter Ju-  
*dæos* fuerunt laudatissimi. Id passim Iosephus te-  
*statur*. *Τείτον δὲ, ὃ δὴ καὶ δοκεῖ σεμνότητα αἰσ-*  
*κεῖν, Εστονοὶ παλαινταί.* Lege ibidem omnes  
*eorum mores accurate descriptos.* Nihil minus,  
*quam pietatem in Deum neglexerunt.* *Πρόσχε μὴν*  
*τὸ Θεῖον ιδίως ἐνσεβεῖς*, pag. 785. m. E. lit. E. aut  
*justitiam erga homines.* pag. 786. E. F. Hinc *Σέληνος*  
*ἀνθρητὸν τὸν τρόπον.* f)

*Esseni.*e) l. 2. B. J.  
c. 7. initio.f) l. 13. c. 2.  
Antiq. P.  
618. A.3. A. Refor-  
matis non  
agnoscun-  
tur.

c) Reformatos has absurdas consequentias pro suis doctrinis nullo modo agnoscere. Neque voce eas profitentur, neque corde credunt, neque vita & moribus exprimunt. Testimoniis si id probandum esset, tot mihi Theologorum paginæ effent describendæ, ut justum aliquod corpus inde efficeretur. Hoc autem à proposito meo alienum est. Compendium si placet, lege præfationem, qua maxime Reverendus atque Doctiss: Jablonski, Potentissimo Prussia Regi à Sacris, tractatum Burnetianum de Præ-

deft. & gratia nuper ornavit atque commendavit.  
 §. 19. 20. 21. Et qui Reformatorum libros integros  
 integer legit, veleorum Theologos pro concione  
 dicentes audivit, vel eorum vitam inspexit, im-  
 probissimis his opinionibus eos facile absolvet,  
 nisi forte existimat, omnes illos Reformatos adeo  
 esse versutos atque callidos, ut aliud scribant &  
 loquuntur; aliud mente tegant; quemadmodum  
 eos aut obtusa, aut inverecunda capita quædam  
 apud plebem criminari solent. Non sunt ἐργάται  
 δόλιοι. I. Cor. II. 13. Si cuiquam, & illis hoc poëtae  
 probatur. g)

<sup>g) Hom.</sup>  
 II. I. 9.  
 'Ἐχθρὸς γάρ μοι νεῖνος ὅμως αἰδαο πυλησιν,  
 Οὐ χ' ἐλεφον μὲν κεύθει εὐλ Φρεσίν. ἄλλο δὲ  
 Εάζει.

<sup>4. An per se</sup> d) Dubitari etiam posse an ex decreto determi-  
 hæc absurdā illa per se & vere fluant, quia vita &  
 da ex pro-  
 posita sen-  
 tientia fe-  
 quantur.  
 nante absurdā illa per se & vere fluant, quia vita &  
 mores eorum, qui ejusmodi decretum assuererunt,  
 criminibus illis semper manserunt pura. Certe  
 non impium ac Deo detestabile videri posse hoc  
 hominum genus, cuius tantam gerit curam, ut,  
 cum non bene, quemadmodum adversa pars ju-  
 dicat, de DEO senserint, optime tamen sem-  
 per vixerint.

Absurda  
 consequen-  
 tia tum-  
 manent. § 16. Interim ratio tamen humana, has absurdas  
 consequentias ex decreto determinante manare  
 judicat. Et ipsi Reformati intelligunt, se invenire  
 in hac causa difficultates, quas cum ratione conci-  
 liare non possunt. Hinc ὡς Εάζει τῆς γνώσεως!  
 hinc exclamant, eique se magnas habituros grati-  
 as,

as ajunt, qui se molestissimis illis scrupulis liberet. Acutissimus Jurieu de hoc negotio ita scribit: *Chacun donc cherche une maniere d'expliquer & la providence & la Grace, qui sauve la saintete & la justice de Dieu, qui les mette entierement à couvert, qui mette l'homme en pleine liberté, qui le fasse unique auteur de ses malheurs, en sorte, querien n'en puisse être imputé à Dieu. C'est un bon dessein; & si quelqu'un est capable de trouver une methode, qui execute parfaitement ce dessein, & qui me leve toutes les difficultes, je declare dès à present, que je m'y range. Car il n'y a personne, qui soit plus incommodé, que moy de ces difficultes.*

*h) Juge-*  
*ment sur*  
*qui que providentia atque gratia explicanda ejusmodi*  
*quærerit methodum, quae sanitatem atque justitiam Dei*  
*in columnis & plane illatas conservet, que hominem in ple-*  
*nam afferat libertatem, quæq; eum solum unicumq; sui*  
*exitii efficiat fabrum, ita, ut Deo inde nihil sit imputan-*  
*dum. Conatus ille est pulcher. Atq; si quisquam valet ejus-*  
*modi methodum invenire, quod quod propositum est, perfe-*  
*cte exequatur, mibiq; omnes nodos eximat, me ipsi assensu-*  
*rum esse statim, polliceor. Nam si quisquam alius, ego cer-*  
*te has difficultates moleste graviterq; fero. Nec aliter*  
*alii Theologi Reformati judicant. Suam rationem*  
*hanc caussam transcendere uno ore fatentur. Coc-*  
*cejus hæc commentatur. Hoc vero in præscientia ma-*  
*xime mirum est, quomodo præsciat nostra mala? Ita & in*  
*providentia, si non moveamur, nisi in ipso, & virtutes no-*  
*stra sunt à Deo, mirum est & incomprehensibile, unde no-*  
*stra peccata? Hæc sunt, quæ fatigant hominis rationem.)* i] Pl. 139.  
*v. 6.* Cui ergo  
*sententiam*  
*nō muten?*

§17. Cur ergo hi Reformati à sua illa rigida sen-

*tentia non discedunt, atque mitiorem amplectuntur.* k) Jurieu tract. supra laudato se. 17. p. 103. 1) Pro articulo fidei eam minime habent k) Non tamen deserunt *Primum quod non perspicilunt, quomodo Idea infinitæ perfectionis de Deo illæsa maneat; nisi ita, ut sentiunt, sentiant.* Id quod Burnetus in tractatu de prædest. & grat. § 62. & 65. annotat *Deinde quod in cæteris methodis similares deprehendunt difficultates.* Utrumque Jurius in dicto libello latius exequitur, argumentisque non ineptis demonstrare conatur. See. V-XII.

*Altera sententia, quæ § 18. Sufficient hæc de illa sententia, quæ Decrētum determinans præscientiæ statuit fundamentum. Alscientiam esse ex decreto; sed etiam excutiamus ponderemusque robur. Hæc esse decreto priorem.*

1. *Ratione & religione* a) *Rationis dictamine atque pietatis officio, quorum utrumque nos jubet vitare absurdas illas atque auditu horridas consequencias cum priore sententia conjunctas. Vitas autem, si statuis, præscientiam non esse in determinante decreto fundatam, sed deereto potius esse priorem.*

2. *Scriptura* b) *Scriptura: ἐγ προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφως &c. Rom. 8, 29. Vocum ordo hic est aperitus; sed num προγνώσκειν hoc loco nudam præscientiam significat, ambigitur. Grotius certe in hac voce præsidii nihil querit, sed ad Decretum eam pertinere judicat. Act. 2, v. 23. in Polo.*

3. *Patribus primorum seculorum.* c) *Patrum primorum agmine. Quotquot enim in Ecclesia Christiana ante Augustinum docuerunt, à decreto determinante alieni sunt. Id quod extra con-*

controversiam est. Vid. Grot. Luc. 22. v. 22. Et quæ supra ex Sculteti medulla Patrum margini ad. scripta sunt loca.

d) *Maximam Christianæ Ecclesiæ partem, quæ post Augustinum ad nostram usque ætatem decretum præscientiæ postposuit.*

e) *Extra Ecclesiæ Sadducæis, qui fatum plane respuerunt, & omnia in hominis libero arbitrio collokarunt. Apud Josephum iisdem locis, quibus Pharisæorum & Essenorum opiniones exponit. 2) Hodiernis Judæis, qui arbitrii libertatem etiam manifeste defendunt. 3) Sectis plerisque Philosophorum gentilium, qui à fato h. e. decreto quodam determinante abhorruerunt. 4) Inter ipsos Stoicos etiam reperiuntur, qui hominis voluntatem fati imperio eximunt. Talis est Arianus Epist. cap. 1. τὴν ὠρούρεσιν γένθ' ὁ Ζεὺς νικῆσαι δύναται. c. 6. ὁ Θεὸς τὸ ἐφήμερον δέδωκεν, γένθ' ἀντίτινα πρὸς τὴν ἴσχυν αὐτολιπανώσει καλύσται, οὐ ἐμποδίσται. Agathiae illustris locus de fato præterendus non est. Hic de Bellis Gothicis, Hugone Grotio interprete, ita scribit. *Causam non arbitror esse in siderum cursu, constitutisque fatalibus, & incredibili necessitate. Quippe si vincit ubique fati vis, periret ab hominibus libera voluntatis electio, tum vero monita omnia, artes, disciplina in irritum cadunt; evanescunt sive errorum, qui vitam honestissimam egerunt.* 1) His argumentis maxima hodiernorum Christianorum pars atque inter ipsos Reformatos Theologos non pauci persuadentur credere, Præscientiam decreto esse priorem.*

M

Re-

1) Hist. Goth. Västal. & Longob. Hugo Grotius interprete. pag. 530.

Reformati quidem duntaxat ratione actionum malorum; reliquorum multi etiam ratione bonarum. *Illi sati* habent, si Deus non constituantur auctor mali; *Hi laborant*, ut homo quodammodo fiat auctor boni.

Difficul-  
tes hujus  
sententiae.  
Accusat-  
r. a) destruere  
ideam En-  
tis summe  
perfecti.

§ 19. Quid autem habet haec sententia, quod reprehendi potest? Non pauci in ea reperiuntur no-

di, iisque solitu non adeo faciles.

a) Adversa pars urget. *Ideam Entis summe Perfecti* hoc pacto destrui. Hanc enim Ideam exigere, ut omnia à Dei voluntate dependeant. Contra hanc methodum, quæ præscientiam ante decretum ponit, Deum facere ab hominis voluntate dependentem. Nam Deum nihil prius de homine certi statuere fingit, quam, quo hominis voluntas se sit conversata, cognoverit. Hoc argumentum post alios tractat *Jurieu in libello supra laudato Sectione VII. XIII.*

b) Tollerere  
certam præ-  
scientiam.

b) Deinde objicit, tolli præscientiam certam: Ratio nem enim non comprehendere, quomodo voluntatis independentis, liberæ ac ad utrumque oppositorum æque indifferentis determinatio præsciri possit. *Imo ejusmodi præscientiam contradictionem includere.* Præscientiam enim esse certam cognitionem ejus rei, quæ certo fiet atque eventura est. Id autem quod ab incerta atque indeterminata voluntate dependet, esse incertum atque posse non evenire. Nam ad evenire atque non evenire perinde se habere. Ecce ergo certam rei incertæ notitiam. Vide, num implicit. Certe Scientia non videtur habere conformitatem cum suo objecto. Hinc Sociniani præscientiam in dubium vocant.

c) Ac-

c) Accusat defensores hujus methodi *de vero fato Stoico*. Quomodo hanc rem disputat? Ita. Præscientiam esse prævisionem actionum, non possibilium, sed certo futurarum. Quicquid autem Deus certo futurum prævidet, oportere, ut id ad futuritionem jam sit determinatum. Quod enim determinatum non est, certum non esse, sed tantum possibile. Hinc Conimbricenses in suo collegio firmiter afferunt: *propositiones de futuro contingenti habere determinatam veritatem.* a) Jam determinationem non factam esse à Deo. Præscientia enim intutetur rem determinatam, antequam voluntas de- crevit. Non à voluntate hominis, ut pote nondum existentis, cum Deus ejus actiones determinate cognoscit. Ergo aliunde. Nihil autem jam restare, nisi fatalem quandam necessitatem, unde futura contingentia determinantur. Excipis. Deum prævidere, non quod jam determinatum actu est; sed quod ab homine aliquando sit determinandum. Illi rursus instant: Ergo voluntatem hominis non amplius esse indifferentem, nec se ad oppositum re vera determinare posse; quia Deus prævidet, sese hoc modo esse determinaturam, & non ad oppositum: quæruntque caussam, cur homo se revera atque actu ad oppositum determinare non possit? Eam autem non esse Deum, quia per suam præscientiam videt tantum, hominem sese actu ad hoc & non ad oppositum esse determinaturum. Rursus ergo Fatum recurrere, quo homo regatur, ut se ad hoc & non ad oppositum actu determinet. Hæc difficultas, credo permovit Stadianum, Melanchthonem

alios-

M 2

c) Introducere fatum  
Stoicum.

a) in libr.  
Artif. de In-  
terpr. I cap.  
8. Artic. 3.

4. 5.

aliosque, ut determinationem in futuris contingentibus  
 b) Vid. bus à Deo esse factam statuerint, licet absolutam  
 Croc. syn. tagm. The-necessitatem non crediderint. b)  
 vol. 1. 3. cap.  
 15. § 10. p. d) Porro colligit: *Hominis ὡρού πετεῖν non magis*  
*572. hac methodo liberam indifferentemque conservari, quam*  
*d] Libertatem indif per decretum determinans. Nam & præscientiam no-*  
*ferētiām ; bis hoc & non illud agendi imponere necessitatem. Quo-*  
*voluntatis modo? Ita rem demonstrant. Deum omnes nostri*  
*non con-*  
*serve. animi motus actionesque prævidere; prævidere*  
*autem certo ac infallibiliter. Igitur necessario ita*  
*evenire oportere, ut Deus prævidit. Hinc esse a-*  
*gendi necessitatem. Distinguis inter necessitatem*  
*Necessitas consequentis & consequentiae: atque concedis posita,*  
*consequen- consequentia infallibili, hanc sequi; non illam. Ve-*  
*tis & con- rūm si adversa pars negat, esse necessitatem con-*  
*sequenter evenit. c) Si ergo ex præscientia necessitatem con-*  
*sequentiæ tantum fluere asseveras, estne pro-*  
*c] Conim- laudato ar- bandum, hominem aliter posse agere, quam Deus illum*  
*bricens. lo- tic. s. circa finem.* acturum esse prænovit! Quomodo autem id demon-  
*strabis? Exemplum non potes. Quod enim exemplum*  
*id probaret, idem certam Dei præscientiam de-*  
*strueret. Rationis judicium testem producis? Qui*  
*scis, te hujus testimonio non falli, quia nemo ad-*  
*huc extitit, qui aliter egit, quam Deus ipsum a-*  
*cturum præscivit? Te sentire tamen, ait, Te hoc,*  
*quod nunc agis. aut antea egisti, egisse libere, &*  
*non agere potuisse. Quid tum? Idem sentiunt, qui*  
*de -*

decretum determinans defendunt. Parum igitur contra hos proficis, quia & illis liceret dicere, si Philosophorum termini in Theologiam sunt inferendi. ex decreto sequi tantum necessitatem consequentiae. Deinde voces eam, licet, necessitatem consequentiæ, manet tamen necessitas, & ejusmodi necessitas, quæ non permittit, rem prævisam actu non fieri; aut aliter fieri, quam est prævisa. Si enim vel non fieret, vel aliter fieret, præscientia Dei non esset infallibilis. *Distinctio in promtu est.* Rem contingentem Sensus di-  
prævisam posse aliter, vel etiam non evenire, sensu diviso, vitus &  
h.e. si res consideratur in sua natura, nulla facta compositus  
suppositione. Non posse aliter, vel non posse non evenire  
sensu composito, h.e. quatenus à Deo prævisa est. Sed  
etiam huic distinctioni num in hac materia locus  
fit, ambigi potest, licet alias non exigui sit usus.  
 Qui istud ambigo? Quia nostræ voluntariæ actiones jam ab æterno à Deo fuerunt prævisæ; & sic ab æterno relatione quadam cum ea conjunctæ. Igitur ab æterno jam obtinuit sensus compositus. Quando ergo divisus? Certe quæ inter se re vera sunt conjuncta, ea tu, incolumi veritate, dividere ne quis, nisi separatione mentali; & quidem abstractione præcisionis tantum: veluti, cum quis hominem eruditum concipit sine eruditione, quem Tu licet ita concipi as, eruditionem tamen illa tua abstractione non auferas, sed manet eruditus. Sic etiam quamvis hominum actiones concipientur ad utrumque oppositorum esse indifferentes, non considerata Dei prævisione; manent tamen necessaria, qualiscunque illa sit necessitas, quia cum infallibili præscientia re-

vera sunt coniunctæ. Rem ita se habere *Cajetanus* perspexit. Hinc illæ ejus voces: *Actus eveniens est evitabilis secundum se ; inevitabilis vero secundum quod est provisus.*

*At licet hoc sit verum s tamen non solvit nodum, quin actus eveniens est jam defacto pro-  
p. 20 art. 4. visus ab aeterno, nec quietat intellectum, qui hic in igno-  
a Baxt, lau- rantia sola quietem invenit.* d) *Liquet ergo ex his, in-  
datur in fallibilem præscientiam ponere agendi quandam  
part. 3 c. 2. necessitatem. Simile illud, quo Deus actiones nostras  
§ 8. in notis prævidens cum eo componitur, qui de sublimi turri vel mon-  
tis cacumine occursura sibi invicem prospicit agmina, ab*

*Proscissione* *hac caussa etiam alienum est. Nam qui de turri  
de turri a gminum ita venientia & mutuo sibi occursura spectat ag-  
concursum mina, certam scientiam prius non habet occursus, quam*

*actu concurrerint. Alterum enim agmen prius quam ad adversum perveniat, reverti potest atq; iter mutare ne perveniat. Exemplo sunt Saul &*

*s) 1. Sam. 23 v. 26. David, qui sibi occurrisse, nisi Saul reversus fuisset. e)*

*Scientia ergo ejus qui de monte vel turri occurren-  
tia sibi invicem providet agmina, est tantum hypo-  
thetica : scilicet agmina sibi esse occursura, si ita  
pergant. Hinc nec necessitatem aliquam occur-  
rendi involvit. Dei autem præscientia non est hypo-  
thetica, sed certa, sed infallibilis, quæ necessitatem  
habet comitem indissociabilem. Videant ergo acu-  
ti disputatores, an in hac methodo inveniant, quo  
voluntatis indifferentiam afferant. Verendum est,  
ne iisdem scrupulis inquietentur, quibus eos tor-  
queri putant, qui decretum determinantur. Di-  
stinctionibus res non absolvitur. Sunt termini,*

*quas*

quas ratio de iis rebus invenit, quæ sub rationis judicium cadunt. Adolescentum ergo animi & rudiora quædam ingenia iis demulceri possunt ; perspicax intellectus non sedatur. Tandem ora etiam <sup>plebis de</sup> <sub>hac senten-</sub> hanc caussam apud plebem, atq; dic ingenui : <sub>tia animus,</sub> Ex præscientia Dei fluere necessitatem consequentia, h.e. ejusmodi. ut , posita præscientia , certissime sit faciendum, quod Deus ante prævidit ; dic: Sensu composito b. e. considerata Dei præscientia , te aliter agere non posse, quam DEus te acturum prænovit: inter quam tamen præscientiam relatio conjunctioque intercedit , sive tu eam consideres, sive non. Experiire num plebs plus tranquillitatis ex præscientia , quam ex decreto determinante percipiat? Declama etiam similibus animis ac pari indignatione, quibus decretum determinans à nonnullis agitari solet; experiere, annon idem odium adversus præscientiam excitari multititudini poscit, quo incendi solet adversus determinans decretum? Paulo liberius sane loquitur, qui voluntatem per præscientiam ad utrumq; oppositorum æque liberam relinquisti.

e) Suggerit etiam hoc adversa pars : Curiosæ rationis judicium si sequendum , & quæ ab illa singuntur , consequentia si admittendæ, neque hac neque alia laxiori methodo Deum plane peccato absolvi. Vide hoc argumentum prolixius pertractatum apud Jurieu in libro saepius jam nominato. Sectione IX. XI. XII.

f) Tandem etiam illud afferit, periculum esse , ne per illos, qui hanc methodum tuerintur; in primis per eos, qui etiam bonas actiones à Deo ante esse prævisas, quam decretas contendunt, Deus destinat auctor esse boni, dum cavitur , ne sit mali.

e) peccato  
Deum nos  
absolvere ,  
rationis ju-  
dicio.

f) negare,  
Deum esse  
auctorem  
boni.

§ 20.

§ 20. Sed satis scrupulorum. Tu si *doctus* es, habebis, quæ respondeas; verum si etiam *modestus*, fateberis, supereffe, ad quæ respondere aliter non debelas, nisi hic esse inexploratum *Cādōc.* Non indocta *Doctiss.* *Strimesius* ad objectiones has refellendas suppeditat in *Metaph. Contract. Sect. II.* de *Attrib. Dei* subseet. 9. § 12. 13. 14. pag. 141. Conf. ejusdem *Annot.* in *controv.* cum *Armin.* *Dyod.* 1. *Annot.* 7. § 4. & *Annot.* 8. § 1. & *Dyod.* II. *Annot.* 3. *Lege*, si non curiositatem plane explet; modesto ingenio satisfacere possunt.

Fatendum  
hic esse  
*Cādōc.*

Quomodo  
in hoc pro-  
fundo ver-  
sari nos  
oporteat.

§ 21. Cum igitur rationes, quibus utraque sententia se defendit, eam faciant probabilem, difficultates contra deformem, ut utrobique *Cādōc.* appareat, quomodo in hoc vasto profundo versari oportet? Primum noli in eo multum jactari: Deinde noli existimare, cum te ei fragili rationis tuæ navi commiseris, te in eo non posse errare: Tandem cave, ne à Scripturæ littore longius discedas, atque id insiste iter, quod quam minimis absurditatum monstris urgetur.

a] Noli ni-  
misseruta-  
ri.

f] Joh. 21.  
v. 10.

§ 22. Primum quantum fieri potest, hoc profundo est abstinendum h.e. ratio divinae cognitionis non nimium pervestiganda est. Nam periculoso est iter, quia sine Scripturæ lumine id tentandum est Recordare ergo illius servatoris moniti. Εάντις περιπατή ἐν τῇ νησὶ, προσκόπει, ὅτι τὸ Φῶς δὲ οὐτινὸν ἐν αὐτῷ. f) Deinde parum emolumenti ex hac navigazione sperandum. Etiam si diu illud *Cādōc.* pervestigaveris, nihil magis cognoveris, quam cum scru-  
tari

tari inciperes. Hoc tantum disces, quod aliis non  
credebas, esse  $\Sigma\alpha\delta\Theta.$  Terminos si queris, nun-  
quam invenies. Fatentur hoc, qui diu satis hoc  
alto sunt jactati. Quotquot ingenui sunt, has e-  
dunt voces. Deum habitare g)  $\Phi\omega\varsigma \alpha\pi\varrho\sigma\pi\lambda\varsigma.$  Effe<sup>g) I. Tim.  
6, 16.</sup>  
ita admirabilem : h) ut non sermonem tantummodo, sed eti-  
am cogitationem humanam superet. i) nos, quicquid  
de Deo scimus, εἰ μέρες γνῶσταιν: quicquid videm⁹,  
ελέπειν δι ἐσόπιρος ἐν δινήματι. k) Deum δύναμει  
ημῶν μόνον γνώσιμον, ὅποις δὲ οὐτιστιαν,  
ἀγνωστον. l) Atque αγνώστη γνῶστω frustra ten-  
tari. Sanctius atque reverentius videri, de actis Dei cre-  
dere, quam scire. m) De Deo etiam vera dicere periculo-  
sum esse, nempe si extra scripturam dicis. Nescis  
enim an vera dicas, quia tu pusille, tu mortalis in-  
finitum atque æternum circumcludere nequis.  
Deum melius sciri nesciendo: sc. quantum attinet ad  
curiosas istas quæstiones. Quoniam τῆς ψυχῆς νό-  
σημά εἴτι τὸ κακῶς κολπεργυῶς ζῆτεν περὶ  
Θεοῦ. Animæ morbus est, male & superflue de Deo quæ-  
rere. Illud Poetæ non esse spernendum:

Θεὸν νόμιζε, καὶ σέες, ζῆτε δὲ μὴ  
πλέον γὰρ ζδέν ἄλλο τῷ ζῆτεν ἔχεις. h. e.  
Deum esse credere, & colito, sed non quereritis  
Nam nil habebis aliud hic, quam querere. n)  
Hoc tantum mercedis habes. Num quid autem damni?  
Videmus, qui cæteris plus sapere voluerunt, atq;  
inexsuperabile infinitumque hoc negotium suscep-  
per. laudat.

N

n) Vid. Lips.  
Polit. I. I. C.2. adjectas  
q; ab ipso  
notas, ubi

laudat.

perunt, eos non solum operam perdidisse, sed se  
lis quæstionibus etiam implicuisse, quæ perpe-  
tuas pugnas æternasque lites in ecclesia procrea-  
runt, ejusq; ædificationem valde impediverunt.  
Indagatio enim conceptusque rationis, qua Deus  
futura contingentia cognoscat, acerrimis bellis  
Theologos commisit.

*Eheu cicatricum & sceleris puder  
Fratrumque! Quid nos dura refugimus  
Etas? O)*

o] Horat. I.  
I. od. 35.

In qua re si consideratum esset, quid verbum Dei  
de ea nos credere juberet, quidque charitas, ta-  
cente Scriptura, tolerare suaderet, minus odio-  
rum, minus convitiorum, minus scandalorum  
olim patres nostri in Ecclesia vidissent; ac nostro  
seculo, quod ante peccatum est, facile corrigere-  
tur, si omnibus esset propositum μὴ ὑπερφρονεῖν

p] Rom. 12, v. 3. παρ' ὁ δὲ Φρονεῖν, ἀλλὰ Φρονεῖν εἰς τὸ σωφρο-  
νεῖν. p) Desine ergo hoc inexploratum profundum  
explorare. Nescire tibi turpe non est, quod Magi-  
ster optimus te nescire voluit. Audi & illud fa-

q) Prov. 25. יְכֻנֵּר אֶלְחִים הַסְּתָר רְבָר. q) Illustris Grotii  
v. 2. epigramma dignum est, quod hoc loco com-  
r) in Poe- miretur. Ille de erudita ignorantia ita. r)

pigr. p. 240. Qui curiosus postular torum sua  
Patere menti, ferre qui non sufficit  
Mediocritatis conscientiam sua,  
Index iniquus, estimator est malus  
Suique naturæq; Nam rerum parens  
Nos scire pauca, multa mirari jubet  
Hic primus error auctor est pejoribꝫ.  
Nescire quedam magna pars sapientia est,

Nam qui fateri nil potest incognitum  
Falso, necesse est, placet ignorantiam,  
Umbrasq; inanis capret inter nubila  
Imaginofa adulter Ixion Deꝫ.  
Magis quisceat animus; errabit min⁹  
Contentus eruditione parabili,  
Nec querer illam, si qua querentem  
fugit.  
Digna

Digna, quæ mediteris, in hac occupatus caussa, & § in poë.  
 ea, quæ ab eodem in Arminii mortem scripta sunt mat. l. 3, far-  
rag. p. 221.

Felix remota factionibus vulgi  
 Religio simplex, arte non laborata:.  
 Quæ morre Christi certa dilui culpas,  
 Hic spem fidemque ponit, & dari credit:  
 Gratis salutem, promerentibus poenam:  
 Strudiq; amoris lene munus exercens:  
 Non curat altum sapere, nec nimis querit,  
 An lege certa veniat omne venturum,  
 Exors malorum quomodo malum nolit,  
 Velisque Rector: summa quatenus caussa  
 Potente nutu velle temperes nostrum.

Felix & ille quisquis ambitu liber,  
 Nec vana captans lucra, nec leves plausq;  
 Cœlestiores excitarus ad curas,  
 In astra tendit, & Deum studet nosse.  
 Qua se ipse pandit; ambulatque suspensis  
 Periculofas gressibus per ambages,  
 Non mentientis fila perseguens libri:  
 Cui caritate temperata libertas  
 Certat manere dissidentibus concors:  
 Piæque purus æquitatis affectus,  
 Damnatus aliis, ipse neminem damnat;  
 Modestiaeque limitem premens, donat

Nunc verba vero, nunc silentium paci.

§ 23. Deinde si te omnino juvat hoc profundum tentare,  
 b. e. rationem, qua Deus futura contingentia cognoscit,  
 scrutari, quia forte existimas eruditio[n]is Theolo- b] Cave,  
gicæ nomen tibi constare non posse, cave, opineris,  
pures, re-  
non errare.  
 Te via, qua navigas, non errare. Cogita hic semper  
 te in immenso versari profundo, cuius fines  
 ignoras; cogita, te in eo versari sine verbi divini  
 Cynosura. Quam facile ergo est, te via aberrare!  
 Quam difficile afferere, te rectum tenere iter!  
 Certe te rectum tenere, nulla ratione demon-  
 strare potes. Deus, cui hoc vastum profundum est per-  
 fectum, novit quis hic recte currat, quis minus. Nobis  
 in hac mortalitate atq; caligine ea gloria non est  
 relicta. Arrogantius ergo facis, si eum, qui non eâ-  
 dem pergit, tua sequi vestigia jubes: improbe, si se-  
 qui nolentem convitiis lacefis, orcoq; damnas.  
 Tu opinaris, te cursum recte instituisse; alter se-  
 idem fecisse opinatur, licet alia via. Tu illum ex-

rationis tuæ pyxide erroris arguis; Ille te ex sua.  
 Uterq; vestrum argumentis non ineptis adduci-  
 tur, ut se recta ire credat, & eum, qui alia via in-  
 cedit, labi. Sed uterq; etiam ejusmodi absurdis  
 urgetur, ut dubitare debeat, annon ipse, qui se be-  
 ne navigare credit, erret; & alter, quem errare di-  
 cit, rectius currat. Tu præscientiam ante decre-  
 tum poni negas; non quidem sine rationibus, sed  
 nec sine multis absurdis. Ille affirms, suis nixus  
 argumentis; sed & pressus incommodis. Si alter  
 alterius rationes, quibus suam defendit methodum,  
 & absurdia, quibuscum pugnat, sine parti-  
 um studio, secum perpendet, deprehendet, se-  
 caussam non habere, cur adversam partem, im-  
 probitatis aut alicujus stultitiæ insimulet; sed li-  
 tem esse inexplicabilem. Quis igitur litem absolvet?  
*Charitas.* Quo pacto? Illa patitur in rebus ar-  
 quis, quæ in scriptura revelata non sunt, duos dis-  
 sentire. Illa jubet, non male sentire de eo, qui be-  
 ne sentire cupit. Illa vetat mordere ac criminari  
 quenquam iis de caussis, quibus se purgat; & à  
 quibus se abhorrere testatur. Illa vult, ut absurdis  
 te prius liberes, quam de absurdis alterum accu-  
 ses. Ille præcipit cogitare, an non multa in Theo-  
 logia & Philosophia occurrant, quæ cum quibus-  
 dam absurdis, nostræ rarioris judicio, sunt con-  
 juncta, quorumq; modum nos non capimus. Quis  
 valet concipere modum, quo tres sint in una ef-  
 sentia; quo Deus fuerit actuosissimus, cum nihil  
 esset extra Deum à tam longa æternitate ad mun-  
 di

*Charitas*  
 sit judex in  
 secretis,

di initium? Quis potest mente assequi mundi,  
quem finitum credimus, terminos? Quis enarrare  
Angelorum loquela? Quam multa, quamque  
probabilis utrinque est disputatio de solis motu?  
Absurdiſſimum olim vel summis quibusdam Phi-  
losophis videbatur, dari antipodes. Quid si igit-  
tur & determinatio fit à Deo facta & hominis libertas sal-  
va atque incolumis simul conservata, per modum, quem  
nunc ignoramus? Aut contra quid si præscientia fit ante  
decretum, & tamen omnia à Deo dependeant? Quis no-  
vit, an necessarii, contingentis, liberi, indifferen-  
tis, Fatiq; vocabula huic cauſa ſatis convenientia?  
t) Per Occidentem & per Orientem, contrarias sibi  
partes, navigatio in Sinenses terras institui po-  
tent, quod olim ignoratum. Quid si utraq; methodus  
in hoc negotio valere poffit? Verum Logica id vetat,  
quaꝝ alteram oportere eſſe falſam colligit. Logica  
à ratione eſt inventa, iisq; de rebus, quaꝝ ratio assequitur,  
 fert judicium. Extra fines ius dicenti impune licet non pa-  
rere. Non illi imperium pelagi hujus datum eſt. Deinde  
Logica etiam colligit, omnesq; ferme credunt, in  
Ente perfectiſſimo nihil eſſe tempore prius & posterius:  
nullam eſſe ſucceſſionem. Deum non diſceptare, non ratio-  
cinari, non proponere, non colligere. u) Ergo præſcien-  
tia & Decretum in Deo ſunt ſimul; nos autem ob  
intellec̄tus imbecillitatem, quaꝝ in Deo ſimul ſunt,  
diverſis momentis tantum conſideramus. Pugna  
ergo eſt, de noſtro concepiendi modo, non de ordinis, qui in  
Deo non eſt, ſucceſſione. Hic rurſus charitas tibi inſu-  
furrat, num eꝝ quum ſit, quem tu rei concepis modum, eun-  
dem

imp

N 3

t) Croc.  
Synagm. I.  
3. c. 30. in  
fin. p. 857.

u) Scalig.  
Exercit.  
365.n. 8.

*dem aliis ut imperes. Hic fastus mali est cauſſa. Hac imperandi correpti cupiditate.*

*Calcamus alios, invicemque calcamur.*

*Hinc tanta bella ſæviunt magistrorum;*

*Hinc odia plebis. x)*

x] Grot. in carm. in AR minii mortem scripto & supra laudato. § 24. Verum, inquis, si haec sunt charitatis in hoc negotio partes, quae ergo veritatis? Veritas esto iudex

Sed & ve ritas; in hoc argumento sunt, quæ supra ex scriptura di revelatis. de certis & revelatis. Cerra autem atque indubitata

ſtinde sunt demonstrata. Deum omnia ſcire etiam futura contingentia. Deum etiam mala fieri decrevisse, uti loca illa Luc. 2, 34. Luc. 22, 22. Act. 2, 23. Act. 4, v. 28. ostendunt. Attamen neq; praſcientiam, neq; decretum

effe cauſſam, cur homo peccet: Deum effe sanctum, qui nullo modo fit peccati auctor; sed, qui peccatum nolit, qui peccatum odio prosequatur, velitque peccatorem reſipiscere;

& ad scopum, quo peccando aberravit, peccatum fugiendo redire. Corruptionem effe ex homine; hominem ſua libe rrate abuſum olim peccasse, & nunc peccare. Hominem ratione ac libertate agendi effe præditum; peccati tamen

labe infelictum perditumq; bene agere non posse, niſi Dei gratia correctum. In his ſit consensus atque animorum conſpiratio; & consensui vitæ mores reſpondeant.

Ab his qui diſcedunt, quia a scriptura diſcedunt, arguantur, doceanturque, ut, ſi velint εἰρήνη Gal. 5. νῦν καὶ ἔλεος, τῷ οὐανῷ τέτω σοιχήσωσιν. y)

v. 16. Quomodo autem haec inter ſe concilientur, quia hu

mana mens, quid in hac re vere ſit ſtatuendum, aſſequi non potest, ſua cuique permittatur ſententia,

dum Christianæ modetiæ non obliuſcatur. Si quis

quis quid durius hic statuere & à ratione longius  
discedere videatur, id cogitetur, rationis non esse  
pronunciare, quis in hac causa rationem negligat,  
quia causa ratione est sublimior. Hic <sup>z) l. 3. Far-</sup>  
quod Apostolus non dixisset, si ratione sua asse-  
qui potuisset. Te Apostolorum maximo longe,  
quisquis es, minorem crede. Deinde & hoc ante  
animum obversetur, si supra dictæ veritates tene-  
antur; in veritatum harum comparatione atque mutua  
conciliatione quicquid erratur, errorem esse theoreticum,  
qui pietatis exercitium neq; impedit, neq; lædit.  
Experientiam habemus testem. Ita si utrinq; sta-  
tueretur, inimicæ illæ Christianoq; nomine indi-  
gnæ disputationes in hoc argumento cessarent.  
Et quisquis superesset dissensus, pacem & ami-  
ciam non tolleret. Grotius à Beza in hoc negotio  
multum dissensit, tamen & vivum amavit, & mortu-  
um mirificis laudibus ornavit, quemadmodum car-  
men, quod in ejus mortem condidit, testatur. z) rag. carm. 2  
Interea tamen & Jacobum Arminium ingenti affectu p. 214<sup>1</sup>  
est prosecutus, meritamque laudem ei assignavit.  
Quid vetat ergo, ut qui vel Beza vel Grotii in hoc  
argumento sequuntur sententiam, eodem erga se,  
quo illi fuerunt, sint animo, ejusdemq; ecclesiæ  
cives? Certe si præjudicio, fastu, temeritate, glo-  
riæq; propriæ opinione ejuratis ipsa res æquo at-  
que pio affectu consideraretur, inter dissentien-  
tes Protestantes amicitiam & sacrorum commu-  
nionem esse per hanc causam liceret; imo esse o-  
porteret, si Apostolus non negligendus est, qui  
monet:

a] Phil. 3, monet: εἰς δὲ Φιλίαν, τῷ αὐτῷ σοιχεῖν  
ναύσι, τὸ αὐτὸν Φρονέον. a) Nunc nihil obstat,  
nisi, quod non solum scripturæ veritates, sed &  
nostras opiniones de veritatum inter se conciliati-  
one defensas velimus. Quid autem hoc nisi hominem  
Dei causæ permiscere? Nisi profiteri, quæ sciri sunt  
negata, nos scire. Cave hanc arrogantiam; cave  
cujuscunq; es partis: & tanto magis cave, quia  
quam partem tu putas esse deteriorem, in quibus-  
dam rebus tua parte potior est: & utrique in hoc  
estis pares, quod cum absurdis urgemini, ad igno-  
rantiam configere cogamini, & cum Apostolo  
exclamare: Ὡς Σάτα!

Tandem  
prudentia  
suadetur.

§ 25. Postremo cave, ne à Scripturæ littere atq; lu-  
mine longius vageris; atq; id iter elige, quod monstris  
minus est infame. Antea quasi modestiam, ne tibi  
nimium credas, atq; alia via flectentem inhumani-  
niter damnes, quoniam difficile est asserere, quis  
in hoc profundo sine errore versetur. Ita consultum est  
& Tibi, ne in aliud quicquam committas, cuius  
te aliquando peniteat; & adversæ parti, ne pati-  
atur, quo se indignum judicet. Non tamen id vo-  
lo, utramlibet propositarum viarum sine delectu esse eli-  
gendum. Esto, utramq; esse probabilem; altera ta-  
men esse potest probabilior. Prudentiam igitur in  
hoc negotio etiam commendando, commendando illud Apo-  
stoli: πάντα δοκιμάζετε, τὸ οὐλόν κατέχετε.

b] Thess. 5,  
v. 21.

Ergo utraque hypothesis inter se comparanda,  
atq; ea eligenda, quæ commodissima appetet.

Ultra me-  
thodus eli-  
genda?

§ 26. Hic Clariss. Jurieu contendit, eam methodum  
esse optimam atq; tutissimam, quæ ab Idea Entis summe

Per-

*Perfecti non discedit; sed inde exorsa res omnes ita inter se connectit, ut inde originem trahere, atque eo respicere videantur.* c) Verum quibus rationibus? Primum, quia reliquæ methodi ab hac Idea discedunt, eamque imminuunt. Deinde quia easdem difficultates nihilo minus relinquunt, quibus illa urgetur. quæ decretum determinans præscientia ponit fundamentum. Verum multa sunt, quæ alteram methodum, sc. eam, quæ præscientiam decreto facit priorem, saltem in actionibus malis, magis commendant, & veluti tuiorem suadent.

c) Sect. XIII.  
lib. supra  
Laudati.

§ 27. I. Quia ad scripturam proprius accedit, quæ ratione admodum decreti determinantis facit mentionem, atque ubi facit, non indicat, determinacionem malarum actionum factam esse ante præscientiam. Contra hanc voluntatis nostræ esse libertatem & conditionem, ut se ad oppositum etiam, dum male agit, determinare possit, Sacrae literæ sæpiissime testantur, atque afferunt. Percurrenti eas ordine id manifestum erit. Si determinatio voluntatis primorum parentum à Deo facta esset ad transgrediendum, cur vetuisset de arbore eos comedere? cur minatus iis fuisset mortem? Cur mortis supplicio labentes affecisset? Hæc testantur satis, Adamum potuisse non peccare. Vid. Gen. 2, & 3. Illa oratio Dei ad Cainum Gen. 4, v. 7. eandem voluntatis nostræ conditionem post lapsum confirmat. Jubet eum DEus peccato dominari. Cap. 6. DEus dat resipisciendi ante diluvium hominibus peccatoribus spatium. Num dedisset, si eorum voluntas ad non resipiscendum determinata fuisset? Num

I. proprius  
ad Scriptu-  
ram acce-  
dit.

O do-

doluisset, se homines resipiscere nolentes fecisse? Num immorigeros punivisset? Perlege ita universa Biblia; centena prius tibi occurrent testimonia, quæ *absolutæ determinationi aduersantur*, quam unum, quod faveat. Confer etiam, quæ cap. V. hujus disp. §. 8. & seqq. sunt proposita. Quæ omnia contra absolutam voluntatis determinationem pugnant. Tutius ergo id sequi, quod Scriptura frequenter & distincte pronunciat, quam quod alicubi obscuris & inusitatis verbis effert; cumque Spiritualium σύγνοισις instituitur, ea loca quæ numero pauca & sensu obscura sunt, ad eorum locorum sensum revocare. quæ & multa & clara sunt, quam tantam locorum multitudinem ex illapaucitate explicare. Hoc esse puto

d) Rom. περὶ Φηλέων κατ’ αὐλογίαν τῆς πίστεως. d)  
12. 6. § 28. II. Ejus principium atque fundamentum est  
2. Ejus fundamen- tutius. Illa ponit profundamento voluntatis nostræ li-  
tum. bertatem atque indifferentiam, quam scriptura ho-  
mini toties assignat, atque ipse homo in se expe-  
ritur: cumque deinde cogitat, certissimam Deo  
inesse Præscientiam, eamque Deo in scriptura di-  
serte tribui, nec tamen comprehendit, quomodo  
certa præscientia de indifferentis voluntatis a-  
ctionibus esse possit; quod certum est, firmiter  
retinet, nempe voluntatis indifferentiam atque præ-  
scientię fidem; ac modum, quo Deus futura conting-  
tia cognoscet, cum revelatus non sit, cognoscere & ex-  
plicare non laborat; sed eum ad infiniti intellectus  
refert lumen, quod finitus intellectus non assequi-  
tur.

tur. Rursusque cum considerat, nostram in agenda libertatem, atque secum reputat, fas esse, ut *Creatura à Creatore suo dependeat*, quemadmodum Scriptura affirmat. Act. 17, 28. Id quod nos à Deo accepisse sentimus, docet aperte atque grato animo profiteri, h.e. libertatem: & simul, quod Deus possidere debet, hoc eum totum retinuisse, iubet ex animo credere, h. e. omnium *creatrarum à Deo dependentiam*. Cum vero dependendi modus in Scriptura non sit definitus, hæc methodus *ex libertate*, cuius nos sumus consciit, *dependentia modum*, quem Deus nobis non revelavit, ita explicat; *ut nobis constet beneficium*, quod à Deo accepimus, & *Deo Majestas*, quam sibi retinere debuit. Nempe vult (præsertim methodus, quam Marchici Theologi sequuntur) nos in *bonis actionibus* plane à Deo dependere; *in malis cum exceptione*. Vide Domini Strimesii Theologi non vulgaris Metaph. Contract. pag. 142. 143. Edit. poster: & Annot. III. Dyod. Secund. in controv. cum Armin. Hæc methodus rationi atque Scripturæ convenienter agit. Primum certe veritatis præ se fert *amorem atque professionem*, dum homini libertatem atque Deo præscientiam tribuit. *Præscientiam enim scriptura evidenter demonstrat*: *Libertatis autem & indifferentiae ita nobis consciit sumus*, *ut nihil sit, quod evidentius & perfectius*, Philosopho judice, comprehendamus. e) Deinde homini convenientem servat <sup>e) Cartes.</sup> Princip. modestiam, dum *præscientia & dependentia modum*, Part. i. § 41. quem Deus non aperuit, mavult ignorare ac infinitæ

finitæ potentiaæ relinquere, quam aliquem finge-re, qui nec cum nostra libertate, nec cum divi-na bonitate ac gratia satis conveniat.

Fundamē-tum abso-luti decreti  
prædeterminantis decreti. Cur id afferitur, cum à Scriptura non præcipiatur? Hæc methodus est reperta, tum ut certa præscientiæ divinæ consta-ret ratio; tum ne illud Ens., à quo omnia dependent, videatur à quoquam in aliqua re depende-re. Hinc absoluta determinatio est introducta. Sed quid agit hæc methodus? In eo videtur Dei gloriam afferere, quod non patitur sine Deo quic-quam existere. Sed in multa incoñoda incurrit. Non vult nescire præscientiæ modum, quem Deus nō re-velavit: utq; eum tradat, suam libertatem abne-gat. Illud arrogantia, hoc stupori est affinc. Deinde ejus gloriam non tam illustrat, quam potestatem obscurat. Hanc enim certis terminis adstringit, quasi Deus non maneret is, unde omnia dependant, nisi absolute omnia determinasset. Voluntatem ergo ejus hæc methodus revera determinat, cuius esse, af-firmat, omnia determinare: Ita Majestatem Dei extollit, ut libertatis beneficium ab ejus bonitate in hu-manum genus conferri potuisse neget. Tandem habet etiam aliquid præpostulum. Ex iis quæ nota-funt, alias ignota colligi solent. Hæc methodus libertatem, quam in se quisque esse perfe&tissime sentit, jubet abnegare, ut præscientiæ inveniat modum, nostro captui negatum. Incertum ergo præscientiæ modum constituit fundamentum atque caußam, cur hominis libertas ac indiffe-rentia,

rentia, quam nos possidere sensus nostri nos docent, sit neganda; cum potius esset retinendum, quod habemus; & relinquendum, quod non capimus. Ita etiam ex hoc principio, quod Deus sit Ens independentis, unde omnia dependeant, colligit, nos non habere liberam ac indifferentem, sed absolute determinatam voluntatem, cum de voluntatis nostræ libertate ac indifferentia nobis constet, de absoluta autem determinatione nihil certi nobis sit traditum. Nonne ergo foret satius ex libertatis nostræ conscientia colligere absolutam determinationem à Deo non esse factam. Occurrit itaque in hac methodo nonnihil præposteriori nonnihil stuporis, nonnihil arrogantiae. Judica hinc, num priore sit tutior?

§ 29. III. Levioribus criminacionibus est obnoxia, <sup>Levioribus criminacionibus est obnoxia</sup> quam altera. Componantur inter se. Hæc accusatur in primis horum criminum: Deum fieri à creatura dependentem: tum certam Præscientiam Deo adimiri. Altera horum postulatur: Per absolutam determinationem Deum constitui peccati auctorem, deinde ex homine tolli libertatem. Horum absurdorum methodi hæ insimulantur. Utrius partis autem graviora judicas? Certum est, esse illa, quæ ex decreto præterminante sequi dicuntur. Demonstra. Ab his natura nostra plane abhorret. Nam primum virtutes Dei per se extingunt, ejusque odium præcipiunt. Num enim tu bonum existimes, qui mali sit auctor? Num sanguinem, qui impunitatis origo? Num justum; qui ei horrendas infligit poenas, qui non potest non pecare?

care? Num *misericordem*, qui eo fine te condidit,  
 ut miserum in modum crucieris? Num *sapien-*  
*tem*, qui te à vitiis absterret, ad quæ te ipse deter-  
 minavit? Et *talem si concipis DEum*, num *potes a-*  
*mare?* Deinde tollunt virtutum vitiorumque nomen, tol-  
 lunt præmiorum gloriam, & pœnarum meritum: imo  
 dum libertatem naturæ nostræ admunt, homi-  
 nem ex homine tollunt. Vides ergo, hæc absurdâ ju-  
 stissimum horrorem parere. Sed num naturæ no-  
 stræ æque inimica se offerunt, quæ ex altera me-  
 thodo sequi judicantur? Sunt & illa satis absurdâ,  
 sed longe tamen leviora, & à quibus nostra natura  
 non abhorret: Nam nostræ naturæ non adeo ad-  
 versum est; *Summum Enis alicubi creaturæ nonnihil*  
*indulgere, & se ad ejus voluntatem accommodare.* Nihil  
 hic est, quod nos laedit: deinde nec ratio nostra  
 nos docet, *hoc Deo adeo esse indignum.* Si quid enim  
 Deus hic homini indulget, est voluntarium, non ne-  
 cessarium. Cum ergo inter homines non vitupe-  
 retur, si superior de suo jure paulum cedat atque inferi-  
 ori plusculum indulget, quam ei debeatur; rationi no-  
 stræ iniquum esse non videtur, si Deus idem fa-  
 ceret, præsertim, cum de jure suo eum remisisse  
 nonnihil, atque per *épitomes* quandam pro no-  
 stra Sponsoris satisfactionem accepisse ex scripturis di-  
 scamus. Alterum illud, præscientiam certam Deo adi-  
 mi, Majestatem ejus valde quidem imminuit, at-  
 que ei perfectioni, quam & Scriptura & ratio  
 Deo inesse docet, repugnat; ita tamen natura ab  
 eo non abhorret, quemadmodum ab illo: *Deum esse*  
*peccati*

peccati auctorem; vel illo; hominem libertate esse deſtitutum. Nam nec amor, nec reverentia Dei, nec quicquam, quod vel ad eū pertinet cultum, vel nostrum officium, detrimentum inde patitur, quorum utrumque ſatis commendatur atque conservatur, ſi Deo res praefentes omnes, praeteritasque cognitas eſſe novimus. Itaque liquet, accusationes, quibus abſolutum decretum impeditur, eſſe longe graviores. Altera ergo eſt tutior. Verum, inquis, falſa eſt accusatio. Nam abſurda decreti prædeterminantis defensores pro ſuis non agnoscunt, ſed toto pectore detestantur, neque ex methodo ſequi concedunt. Ergo inde methodi natura conditioque judicanda non eſt. Ego hic arbiter ſententiam de utriusque methodi abſurdis non pronuncio; neque partes abſurdorum ſe excuſantes condenno. Non me latet, utramque methodum ſe abſurdorum ita purgare, ut abſolvi poſſe videatur. Legantur, quæ hinc à celeberrimo Viro Henrico Altingio in Theol. Elenct. Loc. VI. de provid. pag. 291. & ſeqq. diſputantur: atque illinc, ut intra noſtræ Eccleſiae limites ſubſiftam, quæ ab Excell. Dn. Strimesio locis ſupra allegatis afferuntur. Id ergo nunc non volo, hæc abſurda, quorum utraque methodus arceſſit, cuique re vera in eſſe, aut inde ſequi: ſed affero, aliqua probabilitatis ſpecie horum abſurdorum methodos has alteram ab alterius patronis, reas fieri; atque inde concludo: Ex duabus difficultatibus, & in S. Scriptura non diſerte definitis hypothefibus, eam tutius eligi, quæ levioribus expoſita eſt accusationibus. Talis eſt hæc, quæ praefentiam decreto determinanti

nanti præponit. Minor propositio modo est demonstrata. De majori etiam dubitari non potest. Neutram methodum à Scriptura iexpressè præscriptam esse, supra disputatum est. Ex duobus autem difficultibus id esse sequendum, quod de levioribus absurdis accusatur, etiam est evidens. Nam natura tendit ad perfectius. Ergo id eligendum, quod absurdorum minus accusari potest. Deinde, quantum fieri potest, mali etiam species fugienda est, secundum illud

f) 1. Thess. 5.  
v. 22.  
g) Phil. 4.8.

h] Sueton.  
c. 74. fin.

i) Corn.  
Nep. c. 6. § 5.

j) Ovid. I. 5.  
Trist. Eleg.  
13. v. 25.

k) Approp-  
batur tac-  
te ab alte-  
ra parte.

Itaque si Deum esse peccati autorem, credere oderis, noli hypothefin amplecti, unde, te id credere, conjici possit. Caesar quondam judicabat, suam uxorem tam suspicione, quam criminе carere oportere. h) Quidni nos nostram religionem, dum per S. Scripturam licet? Cur bonum Christianum nomen aliorum calumniis sine causa exponeremus? Atticus, ut suæ tranquillitati serviret, suspiciones quoque vitabat criminum. i) Similiter paci nostræ consulamus. Tu bene de Deo sentis, & alios sentire doces. Ergo, te male sentire, falso infamaris. Sed audi hoc, quod rationi est conveniens.

Tu tamen, ut false possis quoque pellere culpe  
Crimina, quod non es. ne videare, cave. k)

§ 30. IV. Ab altera parte revera tum approbatur stabiliturque, cum se DEum peccati autorem non confite- tuere, demonstrat. Tum enim Dei voluntatem de- cretumque distinguit, docetque, decretum aliud esse effectivum, aliud permisivum: Illudque esse proprie bono.

bonorum, quae DEus approbat & efficit; hoc autem  
 proprie esse malorum sive peccatorum, quae alii, di-  
 abolis & hominibus scilicet permittit. Hinc, quantum at-  
 tinet ad formale peccati statuit, ἀνομίαν sive ἀ-  
 τροπίαν DEum neque efficere, neque adjuvare. Joh. 8,  
 44. Jacob. 1, v. 13, sed permittere, h. e. non impedire,  
 quo minus eveniat. De lapsu Adami ita loquitur Henr.  
 Altingius: Deus voluit & prædestinavit lapsum Ade &  
 posteriorum in ipso, non efficiendo aut approbando; sed per-  
 mittendo, ordinando & ad gloriam suam dirigendo. l) <sup>1] Theol.</sup>  
 Rursus: Voluit & decretivit DEus lapsum non efficere, aut VI. pag. 303. <sup>Elenct. Loc.</sup>  
 juvare & promovere; sed partim permittere, quem impe-  
 dire utique potuisset; partim ita ordinare, ut exploraret m) ib. loc.  
 hominis obedientiam &c. m) Item & Burmannus: n) De. VII. pag. 321  
 nique decretum Dei culpari non potest, cum, quod illud <sup>n) Synops.</sup>  
 malum attinet, fuerit tantum de lapsu permittendo. Theol. I. 2.  
 c. 6. § 34.  
 Differunt autem illa, permissionis peccati, atque ipsius  
 peccati auctorem esse. Non autem peccatum ipsum, sed  
 ejus permisso a Deo ordinata fuit, ut a Φορούη & oc-  
 casio ad opus aliud digniss. Sic & cæteri Reformati  
 Theologi de hac refentient ac scribunt. Qua ra-  
 tione jam ex hac distinctione colligo, methodum.  
 quæ præsidentiam ante decretum ponit, ab altera parte  
 stabiliri? Hac. Si Deus Adami lapsum tantum per-  
 mittere decrevit, sequitur, Deum lapsum futurum vi-  
 disse ac intuitum esse, antequam decrevit. Ergo est præ-  
 visio, est præscientia ante decretum. Decernens enim  
 aliquid permittere, ut intueatur id, quod permit-  
 tit, necesse est Hinc Hermannus Witsius Doctiss. ac  
 prudentissimus Theologus de lapsu Adami hoc  
 modo

modo differit: Verum quidem est, DEum hominem  
 mutabiliter bonum creasse, peccatum ipsius infallibiliter  
 prævidisse, peccati illius permissionem præordinasse, ho-  
 b) de feed. 1. mini quidem sufficientes ad peccati fugam vires dedisse  
 1. c. 8. § 28. o) &c. Manifestum est, eum præscientiam hic ante de-  
 cretum posuisse; quo consilio, ignoro; dubitari  
 tamen non potest, quin rei notitia permissionem ejus  
 præcedat. Atque id non solum in Adami lapsu,  
 sed & posterorum ejus peccatis, obtinere opinor. Et  
 enim, si Deus Adamum in bonitate ac sanctitate,  
 qua ornatus erat, non perstiturum, prævidit, præ-  
 visumque casum decrevit; quid ni eodem modo  
 affirmamus, Deum prævidisse, Adami posteros  
 concessa ipsis bene agendi facultate esse abusuros eos  
 que oblatam restitutionis gratiam partim rejecturos,  
 partim neglecturos; atque ita deformium adiutorium,  
 quas præscivit, alias impedire, alias permettere decre-  
 visse. Si aliter de re est sentiendum, etiam aliter  
 loquendum: nec permittendi vocabulum adhi-  
 bendum, sed novum inveniendum.

5. Praxi est  
 aptior.

§ 31. V. Praxi longe est accommodatior. Cogita-  
 tio enim de absoluta prædeterminatione im-  
 probos in vitiorum emendatione, ac bonos in-  
 virtutum studio plus quam prævisio remoratur,  
 atque verbi ministros, qui auditores vel corrigi-  
 re vel excitare conantur, non fatis validis instruit  
 argumentis. Hoc certe ii maxime experiuntur,  
 quibus cætus non indocti, sed vitiis obruti contige-  
 runt. Quamobrem fieri videmus, ut hi, qui de-  
 cre-

cretum absolutum statuunt, id tum deserant ac revera destruant, cum suos auditores, salutem ex decreti hypothesi segnius curantes, emendare student. Etenim eos, relitta decreti cogitatione, revelatum verbum, quod quærentibus DEum vitam pollicetur, sequi atque ita salutis spem certam concipere jubent. Inter alios, quos, hac difficultate occupatos, hoc patet agere deprehendere licet, vide *Wilhelmum Teelink, virum, cum vivebat, insigni pietate celebrem & à Voetio miris laudibus commendatum.* Hic ignoravos dubiosque auditores hac ratione excitat, in tractatus quem vocat, *Balsam Gileads cap. 11. § 9. & 10. p. m. 886. & in primis in Clavi devotionis part. 1. cap. 9.* Ubi eo usque procedit, ut affirmet. eos, qui dato talento, b.e. ea quæ valent, facultate recte utuntur, indubitatem adipiscenda salutaris gratiae spem posse habere. Quod est, aut naturæ viribus conversionis initium tribuere, aut salutarem gratiam non solis electis assignare. Utrumlibet autem eligis, absolutum decretum destruis. Opinio de absolute decreto quam valde praxi Theologicæ sit incommoda, Baxterus, Vir in praxi exercitatissimus sensit, hinc talia de hac cauſa alicubi scribit: *Quanquam, inquit, Arminium non sequor, hanc tamen ex adverso doctrinam, concionandique methodum odi, quæ docet homines peccatorum præcipuum cauſam ad Deum auctorem referre; queque improbis persuadet, nonnisi electos aduersus ἀπολύτρωσιν per Christum factam peccare. Ea etiam doctrina, quæ statuit, homini voluntatem ad*

peccandum *absoluto quodam decreto determinari*, peccaminosasque actiones vi *tacituque Dei produci diligenti atque accurata indiget consideratione.* Et quanquam Tuvissus, aliique docti viri id affirment, vulgares tamen Christiani id ut credant, necesse non est. Ignorantia, in qua sola Cajetanus quietem inveniebat, &

p) Sabbati-  
fimo Sanctorum part. 3.  
hoc tranquillet, æquum est. Hactenus Baxterus. p)  
c. 2. infin.  
Quibus hæc notabilia, ex doctiss. Barlovii exerci-  
tatione V., statim subjungit. De futuritione  
hæc in notis mali, inquit Barlovius, præfertim moralis, statuunt alii,  
leguntur pag. 32. iu non ego, qui rem difficultatibus perplexam, determi-  
natione nec volo, nec valeo. Solum hoc firmum maneat,  
version. Belg. & immotum, nempe mali moralis futuritionem ita esse  
statuendam, ut hypotheses nostræ peccati originem in  
DEUM non rejiciant. Si quidem spuria illa & de-  
formis soboles nostra progenies est, non Dei, qui pec-  
catum placido vultu ne videat quidem, nedum faciat.

6. Patrum plurimorum auctoritas. § 32. VI. Non immerito additur Doctissi-  
morum Patrum ante Augustinum viventium au-  
toritas. Certum est, hos ab *absoluto decreto alieni-*  
*ores fuisse & præscientiam decreto præposu-*  
*isse: id quod & supra monitum est.* Atque,  
ipse Augustinus ex nimio disputandi adversus Pe-  
lagium fervore eo etiam adductus videri potest, ut  
alicubi *absolutum decretum defendat.* Quod  
aliis etiam in aliis caussis accidisse, eruditii ob-  
servant.

§ 33.

§ 33. His rationibus adductus hanc methodum, quæ præscientiam decreto anteponit, saltem in actionibus malis; præferendam esse illi alteri puto. Et quanquam hæc sententia non tanta consenserunt Reformatorum Theologorum, quanta illa altera, munita est multitudine, non tamen eorum suffragiis plane est destituta. Multi inter eos præsertim in Germania ita olim senserunt; atque nunc Ecclesiæ Marchicæ confessiones ac Theologi eam afferunt. Sitne verò hæc præscientia futurorum contingentium Scientia media appellanda, id nunc non dispuo, neque de voce Theologum disputare decet, si de re convenit. Si quis autem etiam in re hic discrepat, is ne quid vel temere vel arrogantur statuat, & ut in eo nobiscum concordet, oro, de quo Ecclesiæ Christianæ semper extitit consensus. Quodnam illud? Hoc Augustini: *Nullo modo cogimur, aut, retenta præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium; aut retento voluntatis arbitrio, DEUM, quod nefas est, negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur.* Illud, ut bene credamus, hoc, ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. q) Ο δέ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ πα-  
ραπλήσσεως δῶν ἡμῖν τὸ ἀντὸ Φρονεῖν  
εν ἀλλήλοις πατὴ χριστὸν  
Ἴησον! r]

q] Civit. I.  
s.c. i. apudBaxt. loco  
modo lau-  
dato.r) Rom. 15.  
v. 5.

F I N I S.



Errata Typographica paucula reman-  
serunt, quæ benevolus Lector meæ absentiaæ  
imputet.

Præcipua hæc sunt. pag. 13. l. 10. legendum ἐθέληστο.  
Jota deleto. Ubi & hoc moneo, alibi sæpiuscule in ac-  
centibus & punctis Græcarum vocum Hypothetæ inscritia er-  
ratum esse. p. 19. l. 13. lege massam. p. 25. l. 20. lege Cassio.  
p. 36. l. 23. leg. deserti. p. 42. l. 9. leg. per se signif. p. 48. l. 6.  
leg. potius. p. 51. l. 25. leg. Tractatum. p. 59 in marg. lib. 6.  
Benef. ibid. l. 23. lege nostra. lin. ult. neciebamus. p. 60. in  
marg. pro Benef. lege Nat. Quæst. p. 62. l. 5. lege ιππ. p. 68.  
ille Cocceji locus extat in Job. 1. v. 20. fin. quod in margine  
omissum fuit. p. 73. l. 27. leg. Εσσηνοῦς. p. 78 l. 3. leg. τῆς.  
p. 85. l. 2. adde in marg. l. 2. Nat. Quæst. p. 86. lin. ult. de-  
leatur hinc. p. 87. in fin. in marg. lege cur. p. 88. l. 24. leg.  
significet. p. 89. l. 4. leg. maxima parte. p. 94. l. 5. quia pro  
quin. p. 95. l. 1. leg. quos. ib. l. 19. post loquitur adde, si ex ratio-  
nis judicio sententia dicenda est. p. 100. l. 24. illa. p. 116.  
l. 10. lege statuant. Cætera relinquor lectoris benevolentiaæ.


08 A 6423

Slc


R

VDA

Hi.75.



B.I.G.



35

I. N. J.  
*Dissertatio Theologica Inauguralis,*  
DE  
**PROFUND  
COGNITIONIS DEI,**  
*Quam*  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
AUGUSTO ac SERENISSIMO PRINCIPE atq;  
DOMINO  
FRIDERICO WILHELMO,**  
*REGNI PRUSSICI atq; ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI HÆREDE, &c. &c.*  
Ex consensu Venerabilis Facultatis Theologicæ,  
P R A E S I D E  
**DN. SAMUELE STRIMESIO,**  
*THEOLOGO CELEBRATISSIMO,  
h.t. UNIVERSITATIS VIADRINÆ PRO-RECTORE & FA-  
CULT. THEOL. DECANO,  
PRO LICENTIA*  
Summos in Theologia honores ritè capessendi,  
D. XIX. April. Anni M DCCVI.  
cum Secundum Universitatis Francofurtanae Seculum non  
sine ingenti gaudio jam jam condendum & Tertium inchoandum est,  
Publico Eruditorum examini submittet.  
**M. PAULUS VOLCKMANN,**  
V.D.M. & Præpositus ad S. Andr. in monte ad Crofnam.  
Francofurti ad Viadrum, Typis Joh. Christophori Steppini, Acad. Typogr.